


A b c d h t

l o m n e l

JmPanu Michałowi
Dziulemu Stolnikowiczowi
Sandomierskiemu
Należy.

A b c d h i m

n o q

A b o d b l m

n o q

A b d h l m

n o

A

A b c d h l m

A b c d h l m

n o q h l i m n

A b c d h l m

ACTVS VIRTVTVM, & ORATIONES ad DEVM & DEI PARENTEM.

Typis Clari Montis Częstochoviensis. A.D. 1708.

Eremi Insulae
Vigrensy



ACTVS VIRTVTVM,

Et Orationes ad Deum, Deique Parentem.

ACTVS FIDEI.



Rima & infallibilis Veritas, DEVS meus, qui nec falli, nec fallere potes, captivo intellectum meum in obſequium fidei, & credo propter tuam ſolam veracitatem, omnia quæ in Eccleſia Catholica revelaſti. Credo quos ſis, & quod remunerator ſis. Credo omnia quæ revelaſti de tua Vnitate, de Trinita-

te, de Incarnatione Verbi Diuini, de Sacramentis, de Ecclesia, eiusque capite, de cultu Sanctorum, de merito bonorum Operum, de Purgatorio &c. Protestor corã te quod in hac, pro hac & ex hac fide, vivere, operari, & mori volo. Imo propter hanc fidem defendendam, confirmandam, dilatandam, volo omnium Martyrum pati tormenta, carceres, gladios, omnia ista super me veniant, tantum ut te Deo meo fruar. Itaque omnia perfidiæ monstra, Atheismum, Paganismum Iudaismum, Arianismum, Luteranismum, Calvinismum, & omnes hæreses ab Ecclesia damnatas, ego pariter damno, exe-

cror, & anathematizo. Credo Domine, adiuva incredulitatem meam, Domine adauge nobis fidem. Da fidem vivam, quæ per dilectionem operatur.

ACTVS SPEI.

DEVS meus, misericordia mea, spes mea, ab uberibus Matris meæ, in te omnis spes mea; spero in te, & à te teipsum. Spero per te & per merita IESV Christi Domini nostri veniam, gratiam, gloriam & omnia bona temporalia, & æterna, spero quia bonus es nobis, quia es Omnipotens, quia fidelis es in promissis. Spero in te quia maior est bonitas tua, quàm malitia mea, quia

misericordia tua superexaltat iudicium. Spero quia si Filium tuum Vnigenitum nobis donasti, quomodo non omnia nobis cum eo donabis? Non timebo mala quoniã tu mecũ es. Dominus firmamentũ meum, & refugium meum, & liberator meus. O Domine in te confido non erubescam.

ACTVS TIMORIS DEI.

DEVS ultionum, DEVS terribilis super omnes Deos quis non timeat te; cum columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum tuum. Timeo igitur te DEVS meus, imprimis timore reuerentiali, admirando, supra existen-

ſtentem & agnoſcendo ſubiecti-
onem meam ſecundùm infini-
tam à te diſtantiam, recedo &
reſilio in abyſſum nihili mei.
Timeo etiam te timore pœnali.
Timeo te timore ſervili, ut ſer-
vus Dominum, & reus iudicem,
nè crucier in gehenna. Timeo
te timore Mercenarij, ut opera-
rius remuneratorẽ, nè excludar
à gloria. Sed potiſſimum timeo
te timore filiali, ut filius patrem
nè deſerar à gratia. Domine dum
veneris iudicare, noli me conde-
mnare, nè proijcias me à facie tua
& Spiritum Sanctum tuum nè
auferas à me, nec permittas me
ſeparari à te. Cõfige timore tuo
carnes meas, ut à judicijs tuis ti-

meam, utq; cum timore & tremore operer ſalutem meam.

ACTVS AMORIS DEI

DEVS meus & omnia, ſummū ac infinitum bonum, amo te, totô me, & totâ meâ potẽtiâ amatiuâ, ſine ulla diviſione cordis mei in creaturas, quia es ſummū bonum, continens modo optimo omnem poſſibilem bonitatẽ, in quamcunque poteſt ferri amor meus. Amo te ſupra omnes divitias, & honores, ſupra omnem ſapientiam & excellentiam creatam, ſupra ſanitatem, ſupra vitam & me ipſum, quia es ſummum bonum ſupra omne bonū. Amo te ferventiſſimè, intenſiſſimè,

mè, insatiabilissimè, & ut dicebat ille amator tuus, Seraphicè, Marianè, Theandricè omnitudinaliter, omnipossibiliter. Et ideo assumo, mihique unio corda amore tuo ardentia omnium Sanctorum hominum & Angelorum, omniumque creaturarum rationalium, possibilium, adeoq; Cor ipsius Virginis Deiparæ, & Cor humanitatis Christi hisque omnibus te ignitissimè amo. Amo te sine mensura, sine fine, quia es bonū & infinitū immensum. Imo si possibile esset, Vellem te amare infinitè, Divinè, quantùm dignus es, quantùm amabilis es, sed quia hoc facere non posū suppleo id

de tu-

de tuis bonis, tuumque amorem divinum qui ſolus eſt æqualis amabilitati tuæ, tibi offero, ac peto, ut Tu tuo amore ames te, ſupplendo exilem amorem meum erga te. Ex amore tui deſidero etiam cum diſpendio omnium bonorum, & vitæ meæ, ut agnoſcaris, ameris, adoreris, ab omnibus creaturis rationabilibus, in omnibus, ſuper omnia. Deſidero item ardentiſſimè ô pulchritudo infinita te videre, te frui per totam æternitatem, idq; non ideo, quia hoc mihi bonum eſt, ſed quia tibi magis placet; & ut te magis agnoſcam, amem, & glorificem. O quando veniam, & apparebo

ante faciem tuam? Cupio dissolvi & esse tecum. Educ de custodia animam meam ad confitendum Nomini tuo, me expectant iusti, donec retribuas mihi. Interim propter amorem tui, nolo tibi unquã dare occasionem displicentiæ ullo peccato etiam veniali. Volo de te sæpe cogitare, sæpe loqui. Volo ad te aspirare. Volo in virtutibus, & amore tui semper crescere. Volo pro gloria tua propter te multa difficilia agere & pati, ad dandum gustum dulcissimo cordi tuo. O Deus meus, imple amore tuo totam capacitatem cordis mei. Da quod iubes. Diligam te Domine fortitudo mea, am-

plius

plius & amplius. Amorē tuū solū mihi dones, & dives sum satis.

ACTVS CHARITATIS
Proximi, propter Deum.

DEVS pacis & dilectionis propter te, amo, sicut me ipsum & amplector visceribus IESV Christi omnes proximos meos; idq; ideo, quia in ijs relucet imago tua; quia omnes redempti sunt pretioso Sāgvine Filij Dei. Quia hæc est voluntas tua ut omnes simus unum, sicut tu unus es in Trinitate. Quia hoc est mandatū novum Redemptoris mei ut diligamus invicem. Specialiter amo propter te sicut me ipsum omnes fideles, quia sumus unum

cor-

corpus ſub uno capite IESV Chriſto, quia ſumus Cives Sanctorum & domeſtici Dei quia de uno pane cæleſti participamus; quia ut ſpero nos mutuò in cælo amabimus æternum. Amo etiam propter te, ſicut meipſum omnes inimicos meos, ijſq; ex corde condono omnes meas offenſas, ut tu Domine dimittas omnia peccata mea. Domine, nè ſtatuas illis hoc peccatum, quod me aliquando offenderint vel contriſtaverint. Ignoſce illis non enim ſciunt quid faciunt.

ACTVS *Adorationis & Laudis Dei.*

MAgne Deus, Rex Regum, & Domi-

Dominus Dominantium, ego vilissima creatura tua, procedens ex abysso vilitatis meæ, tanquã de palude sua ranuncula, audeo comparere ante Maiestatem tuã eidemq; obstrepere. Fretus ergo bonitate tua prosterno me in cẽtrum nihili mei coram te, & recognosco te Deum Dominũ meum, primum principium & ultimum finem meum, Teq; totô me, affectu tibi gratissimo mihi possibili, imò affectu beatifico, Seraphico, Mariano, Theandrico, affectu quo dignus es, supra omnia adoro, laudo, glorifico, benedico, magnifico, exalto & omnes, & singulas tuas perfectiones divinas. Sactus, San-

San-

ctus, Sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloriâ eius. Benedictio, & claritas & honor Deo nostro in sæcula sæculorum. Exaltare super coelos Deus & super omnē terram gloria tua. Lauderis, glorificeris, ab omnibus, super omnia in æternum.

ACTVS *Gratitudinis.*

PAter misericordiarum, & Deus totius consolationis: quàm beneficus es universis, & miserationes tuæ super omnia opera, idcirco, magnificat te anima mea quia fecisti mihi & omnibus creaturis magna qui potens es, & sanctum Nomen tuum. Sis ergo

benedictus ab omnibus creaturis, in omnibus, super omnia, pro omnibus & singulis donis naturæ, gratiæ & gloriæ collatis in tempore, & in æternitate cōferendis, Sanctissimæ Matri eiusdem, omnibus & singulis Angelis & hominibus, comprehensoribus & viatoribus, prædestinatis & reprobis, iustis & peccatoribus, ingratis, infidelibus, damnatis, imo etiam pro beneficiis omnium creaturarum irrationalium quæ unquam fuerunt, sunt, & erunt. Pro omnibus istis creaturis tuam beneficentiam & liberalitatem benedico, tibique gratias ago toties, quot beneficia illis & mihi contulisti, & quot

conferre per totam æternitatem decreviſti. Sis benedictus in æternũ pro omnibus & ſingulis gratiis naturalibus & ſupernaturalibus, internis & externis, habitualibus & actualibus, uniuerſalibus & particularibus. Sis benedictus pro beneficio creationis, conſeruationis, cooperationis, exhibito & exhibendo omnibus & ſingulis creaturis. Sis benedictus pro Incarnatione Verbi Diuini, pro vita, Paſſione, & morte IESV Chriſti, pro doctrina eius, conſilijs, præceptis, exemplis, miraculis, pro redemptione & uſu Sacramẽtorum, pro fundatione Eccleſiæ, Religionum. Sis benedictus pro nfuſione gratiæ Sanctificantis,

omniumque virtutũ ſupernatura-liũ, pro illuſtrationibus; & Inſpi-rationibus, excitantibus & adiu-vantibus, operantibus & coope-rantibus, præuenientibus conco-mitantibus ac ſubſequentibus. Pro concurſu ad actus ſalutares: pro gratia externæ protectionis; pro omnibus miraculis propheticis, & pro omnibus & ſingulis gratijs, ſiue gratis cuicunq; datis, ſiue gratum facientibus. Sis benedi-ctus pro prædeſtinatione, vocati-one, Iuſtificatione, glorificatione omnium electorum. Sis benedi-ctus pro gloria Nominis tui pro-pagata in cœlo, & in terra. Sis be-nedictus pro omnibus afflictioni-bus, perſecutionibus, doloribus,

quæ ad caſtiganda mea peccata ut Iuſtus iudex ſimulque miſericors Pater permiſiſti, aut permittere decreviſti. Ac denique ſis benedictus pro omnibus tuis decretis circa meam vitam, & mortem, & æternitatem. Pro his & ſingulis beneficijs confiteantur tibi Domine omnia opera tua & Sancti tui benedicant Tibi. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus & replet in bonis deſiderium tuum. Benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

ACTVS CONFORMITATIS.

Cum Divina Voluntate ſeu Reſignationis.

ADoranda, ſapientiſſima, omnipotentiſſima, beneficentiſſima Dei voluntas, ſubijcio me tibi totum, mancipoq́; in æternum, & amplector omnes de me, rebuſq; meis æternas ordinationes; idq́ue ideo, quia ſum tuus eſſentialiter ſervus, quia tibi nullus reſiſtere poteſt, quia omnia de nobis ſapientiſſimè diſponis, quia nihil odiſti eorum quæ feciſti, & omnia ex amore paterno erga nos decernis. Itaq́; exuo me propriâ voluntate cœcâ, & non niſi quod noxium eſt appetente, ut tuâ divinâ

regar ſapientiâ, ut cor habeam ſecundùm cor tuum, ut tuâ vivā voluntate. Hoc tantùm volo quod tu vis, hoc nolo quod non vis. In omnibus non mea, ſed tua voluntas fiat. Fiat ita ô Pater ſicut placitum fuit ante te ab æterno. Dominus es, fac quod bonum eſt in oculis tuis. Vis me divitem aut pauperem? honoratum aut contemptū? celebrem aut infamem: paratum cor meum Deus. Vis me ſanum aut ægrum, lætum aut mœrentem, paratum cor meum Deus. Vis me diutiùs vivere aut cito mori, parum aut multum in virtutibus proficere, parvam aut magnam gloriam in cœlo conſequi, paratum cōr meum Deus. Ec-

ce ego ſervus tuus, fiat mihi ſecundùm verbum, ſecundum decretum tuum. Reſigno me adorandæ tuæ voluntati, ad inopiam ad infamiam, ad contemptus, ad extremos dolores, ad mortẽ, imò uſq; ad condemnationem æternã, uſq; ad mei annihilationem. Volo habere id quod habeo, quia id habeo quod tu vis; in omni eventu ſive proſpero, ſive adverſo, in ſolatio, & afflictione, in morbo & ſanitate, in vita, & morte benedicam Dominum omni tempore, ſemper laus eius in ore meo, quia ſemper dignus eſt, quia ſemper Pater eſt. Dominus dat, Dominus aufert, ſit Nomen Domini benedictum.

ACTVS *Subiectionis.*

O Domine, ego ſervus tuus & filius Ancillæ tuæ, nonnè igitur tibi ſubiecta erit anima mea. En ex nunc, pro ſemper, ſubijcio eam altiſſimæ juriſdictioni tuæ ſupreme Legiſlator. Ac imprimis diſpoſitione voluntatis meæ, rerumq; omnium ad me ſpectantiũ plenè committo voluntati tuæ. Approbo omnia decreta tua, & ordinationes æternas, de me rebuſq; omnibus meis, quantumvis ſenſui meo repugnantes. Volo integrè, promptè, hilariter, obedire tuis præceptis, tuis conſilijs, tuis inſpirationibus. Volo etiam obedire propter te Superioribus meis,

in omnibus ubi peccatum non apparet, integrè, promptè, ad nutum obedientiâ cœcâ: idq́; propterea quia omnis eorum potestas est à te, quia in ijs te cognosco, quia volo imitari Christũ pro me obedientem usq; ad mortẽ Crucis. Doleo quod hactenus tibi inobediens fuerim, quod jugum tuum confregerim, dixerimq; non serviam. Pro omni mea inobedientia cõpensanda, offero tibi omnes obedientiæ actus Christi Domini, beatæ Virginis, & Sanctorum, qui hâc virtute floruerunt.

ACTVS *Humilitatis.*

DEVS qui humilia respicis, & alta à longe cognoscis, qui super-

bis resistis, & humilibus das gratiam, ego pulvis & cinis, cum magna confusione mea, agnosco & confiteor coram te inutilitatem meam. Agnosco, quod ex me nihil sum, nihil habeo, nihil facio. Agnosco in meo intellectu cœcitatē, in voluntate malitiam, pertinatiam, inconstantiam; in appetitu sensitivo, inclinationem ad malum, difficultatem ad bonum; in corpore continuam mutabilitatem, mortalitatem, totq; alias indigentias, & miserias. Sed longè magis confiteor coram te peccata mea, quibus tam longè à te recessi, in regionem dissimilitudinis, ut meritò vocari debeā, non modo peccator, sed ipsum peccatū.

Præterea opto, in quantum id ſine peccato fieri poſſet, ab omnibus negligi, contemni, malè judicari, odio haberi, diffamari, & omnes contemptus, odia, judicia, detractiones, volo hilariter pati, idq́; ideo, quia his omnibus dignus ſum, quia volo imitari Chriſtum Dominum meum pro me contẽptum, irriſum, conculcatum, conſputum, malè judicatum, diffamatum, opprobriis ſatiatum: quia volo obedire eidem Domino meo humilitatem præcipienti. Deniq́; nolo mihi in ullis factis, & talẽtis cõplacere, & oſculari manum meam: nolo gratiam apud homines, & honorem quærere, cum mihi ſufficiat apud te laus mea,

honor & gloria æterna Deus meus. Quod verò aliquando me contra te erexerim, quod gloriam tuam furatus fuerim, doleo ſuper omnia & pro omni mea ſuperbia in eius compenſationẽ offero tibi omnes actus humilitatis Chriſti Domini, B. Virginis, & Sanctorum humilitate inſignium. Domine non veniat mihi pes ſuperbiæ; non ambulem in magnis, & mirabilibus ſuper me; ut promiſſa humilibus præmia feliciter conſequar.

ACTVS *Pœnitentiæ.*

BEnigniſſime Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat: Ego indigniſſimus peccator, venio ad te cū


filio prodigo ex regione lõginqua dissimilitudinis, accedo cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ, fretus pietate tuâ, ac misericordiâ infinitâ, confiteor tibi adversum me injustitiam meam. Pater peccavi coram te, non sum dignus vocari filius tuus. Tibi soli peccaui & malum coram te feci, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ super me. Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam. Ideo confundor, & erubesco coram te Domine Deus meus, & cum Publicano non audeo oculos in cæ-

lum attollere, quia tot peccatis animam meā contaminavi, meq́ue exoſum oculis tuis reddidi; quia gratiâ & donis tuis ſpoliatus ſum. Pauper, nudus, cœcus, miſer, & miſerabilis; quia ex filio tuo, diaboli mancipium effectus ſum; quia diſſipavi ſubſtantiam tuam, quia ſum reus mortis æternæ. O Bonum omni amore digniſſimum, retracto, damno, deteſtor omnia peccata mea, ac de illis doleo ſuper omnia. Doleo ex motivo ſpei, quia amiſi promiſſam beatitudinem, ejuſq; privationem merui. Doleo ex motivo Religionis, quia peccata mea ſunt irreverentia & contemptus Majeſtatis tuæ, ubiq́; præſentis, & omnia videntis. Do-

leo ex motivo Iuſtitiæ, quia tuum jus proprietatis læſi. Doleo ex motivo Obedientiæ, quia tuis præceptis inobediens fui. Doleo ex motivo Gratitudinis, quia peccata mea ſunt ingratitudo pro tot beneficiis tuis. Doleo ex motivo Pœnitentiæ, quia honeſtũ eſt dolendo abolere peccata. Doleo ex motivo omnium virtutum, quia peccata mea ſunt diſſonantia rectæ rationi, & oppoſita virtutibus. Sed potiſſimùm doleo ex motivo charitatis, quia peccata mea ſunt offenſa bonitatis tuæ infinitæ tibiq; diſplicent ſummo ac puro bono, quod ſuper omnia diligo. Ah: utinam te ſummum bonum meum nunquam offendiſſem: Væ

tem-

tempori illi, quo te offendi. Ergo nunc ſit finis turpitudinis meæ. Dixi nunc cœpi ; ſtatuo firmiter cum gratia tua cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ. Malo mori quàm fœdari. Te miſericordiarum Deus, procidens coram te ſupplex deprecor, & per bonitatem Cordis tui oro, miſerere mei ſecundum multitudinem miſerationū tuarum, dele iniquitatem meam. Averte oculos tuos à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.



AFFECTVS
AD BEATAM VIRGINEM MARIAM.

Affectus Adorationis, & Salutationis

AVguſtiſſima cœli, terræque

Princeps, DEI MATER MARIA, ad Tuos pedes prouolutus, saluto & adoro Te omni illâ adoratione hyperduliæ, cuius capax es: illâ reverētiâ, quâ te salutavit Archāgelus Gabriel, & Sācta Elisabeth illô cultu, quô Te colūt Sancti Angeli, & homines Viatores, & cōprehensores: illo honore, quô te honoravit in terris tuus Tibi subdit⁹ Christus, & quo Te nunc honorat in cœlo: idque facio propter maximā post Deum excellentiā sanctitatis & beatitudinis tuæ, propter admirabilem Maternitatem tuam, propter altissimū dominium tuum in Creaturas. Adoro, & saluto Te tanquam quartam in mundo personam uni secundam Deo, tan-

quam primum obiectum creatū Diuini amoris; tanquam Matrem in Carne Filij Tui Deificam, Deo Homini imperantem tanquam causam de congruo meritoriam omnis gratiæ & gloriæ puris hominibus collatæ tanquam totius uniuersi Imperatricem. Saluto & adoro Animam Tuam, gratiâ plenam; Tuum intellectum: tuam scientiā in instanti conceptionis infusam, lumine gloriæ & visione Dei illuminatissimam: Tuam voluntatem impeccabilem, omnibus habitibus & actibus virtutum ab ipsa conceptione Tua ornatissimam. Saluto & adoro Tuum Corpus Sacratissimum, Deo Homini in primo gradu consangvineum: Tu-

um cor ſemper immaculatum, ſemper amore Dei ardentiſſinum. Tua beata ubera, quibus Filium Dei lactaſti, Tuas Manus, quibus eum portaſti, & amplexa es: tuos pedes quibus eum comitabaris: tuum os, quô ipſi oſcula imprimebas: tuam linguam, quâ cum illo dulces ſermones miſcebas: tuos oculos, quibus illum amanter inſpiciebas.

AFFECTVS
Laudis & Glorificationis.

GLorioſiſſima Dei Mater, laudo, & glorifico te omni laude, quâ digna es, quâ te beatā dicūt ſive in cœlo, ſive in terra omnes generationes. Laudo & glorifico tu-

am admirabilem Maternitatem, tuam immaculatam Conceptionem, tuam puritatem, quâ maior ſub Deo nequit intelligi, tuam corporis pulchritudinem. tuam ſcientiam ab inſtanti Cõceptionis infuſam, & Viſionem beatam, tuam gratiæ & gloriæ ac virtutum excellentiã, ſupra omnium creaturarum gratiam, gloriam, ac virtutes; tuum ſupra omnes creaturas dominiũ. Vellem ſi poſſem, omnes laudes in te congerere, quas totius orbis incolæ, tibi unquam, ſive ſcriptis ſive voce tribuerunt, tribuunt, & tribuent: adeoq́, quas ipſæ tres Perſonæ, diuinæ tibi tribuent totâ æternitate. Hoc ardentiſſi-

mè desidero, ut ab omnibus creaturis rationalibus summè post Deum lauderis & glorificeris in æternum: atque pro defensione & dilatatione gloriæ tuæ sanguinem fundere, & mortem oppetere paratus sum.

AFFECTVS.

Amoris, & Appretiationis.

PRetiosissima, admirabilis, amabilissima Mater pulchræ dilectionis, amo te summè post Deũ, totis medullis cordis, totis præcordiorũ affectibus, amo te amore mihi possibili tibi gratissimo, amo illo quo digna es: idq; propter summam post Deum bonitatem, pulchritudinem, humilitatem tuam, tam naturalem quam

super-

ſupernaturalem: quia es optimum purum creatum, id eſt, ſummum bonum poſt Chriſtum: quia es primum obiectum creatum amoris Divini.

Appretio te & æſtimo plùs, quam amicos & cognatos meos: plùs quam honores, opes, vitam, ſanitatem, mundum univerſum: amplius quàm res omnes, ſive in in cœlo ſive in terra, creatas: plùs quàm ſanctos homines, & Angelos univerſos: idq; ideo, quia tibi uni plus ſe communicavit Divina bonitas, quàm omnibus creaturis ſimul ſumptis.

Deſidero amare te, ſi fieri poſſet, amore illo, quo te amant & amabunt in æternum omnes Electi;

illo amore, quo te amat humanitas aſſumpta Filij tui: illo amore, quo te amat SS. Trinitas. Si mille, ſi infinita corda haberem, illis te amarem. Benedictũ Cor Filij tui, quod defectus meos ſupplet amando te infinitè: hoc tibi cor dono & offero, ejuſdemq́; affectu te diligo.

Vtinam te orbis univerſus agnoſcat, colat, amet, quantum capax es. Volo id procurare etiam cum diſpendio vitæ meæ, & omnium bonorum temporalium. Proteſtor ô Virgo incomparabilis, quod paratus ſim potius gehennam ſubire, quàm minimam jacturam tuæ gloriæ pati.

AFFECTVS OBLATIONIS.

DIgnissima Dei Mater, non sum dignus vocari filius tuus, fac me obsecro unum ex mancipijs tuis. En corpus & animam meam, spes & omnes res meas tibi devoveo, & mancipo in æternum, ut tibi vivam, moriar tibi, æternum tuus. Offero me tibi ad patiendum quodvis pro defensione & augmento gloriæ tuæ, ad omnes labores superandos, & ipsam mortem.

AFFECTVS FIDVCIÆ.

MAter sanctæ spei, in te omnis spes vitæ & virtutis, tu es maxima post Deum mea fiducia & tota

ratio ſpei meæ. Spero igitur per merita tua, & interceſſionem, omnia bona temporalia & æterna. Spero remiſſionem peccatorum, gratiam, & vitam æternam, idq; ideo quia es advocata noſtra potentiſſima quæ plus potes ſola, quàm omnes Sancti ſimul : quia es Mater miſericordiæ, quia es Theſauraria gratiæ liberaliſſima. In te ô dulcis Maria ſperamus, nos defendas in æternum.

AFFECTVS PETITIONIS.

MAter miſericordiæ, in Nomine IeſuFilij tui per bonitatem cordis tui, te oro ſuppliciter, mõſtra te eſſe Matrem in omnibus meis neceſſitatibus ſpiritualibus & corporalibus, Mater Dei memen-

to mei, & impetra mihi apud tuũ dilectum Filiũ veniam peccatorum, gratiam efficacem ad vincendas tentationes, horrorem peccati mortalis, imitationem tuarum virtutum, præsertim castitatis; finalem, perseverantiam in gratia, & mortem felicem: ô Maria sis mihi propitia, in vita, morte mea, & æternitate.

ORATIO ad CHRISTUM passum.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspe-

ctibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine, per has Sanctissimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me à pænis inferni, & perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Alia

Alia Oratio.

DOmine Iesu Christe, in cujus ditione cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, qui dignatus es nasci, mori, & resurgere per mysterium sacratissimi Corporis tui, & per quinque vulnera & effusionem pretiosissimi sanguinis tui miserere nobis, sicut tu scis necessarium esse animabus & corporibus nostris, libera nos à diaboli tentatione, & ab omnibus, quibus nos angustiatos esse cognoscis, nosq; in servitio tuo usq; in finem conserva, atq; corrobora; & veram emendationē, spatiumque veræ pœnitentiæ nobis tri-

bue, & remiſſionem omnium peccatorum poſt obitum: & fac nos fratres, ſorores, amicos & inimicos invicem diligere, & cum omnibus Sanctis in regno tuo ſine fine gaudere, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

ORATIO
ad VVLNERA CHRISTI.

ROgo te Domine Ieſu, per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quibus emanavit ille pretioſus ſanguis, quô ſumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mo-



am mori dignatus es, vulnera eam igneo, & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum; ita, ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Percute Domine, percute, obsecro hanc durissimã mentem meam, pia & valida cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Ad CHRISTVM morientem.

O Domine Iesu Christe adoro te in Cruce pendentem, coronam spine-

ſpineam in capite portantem; deprecor te, ut me tua Crux liberet ab Angelo percutiente. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in Cruce vulneratum, felle & aceto potatum; deprecor te, vt vulnera tua ſint remedium animæ meæ. Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

O Domine Ieſu Chriſte, propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de benedicto corpore tuo, deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam in vitam æternam, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, & liberantem captivos; deprecor te, né permittas me illuc introire. A. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro te resurgentem à mortuis, ascendentem ad cœlos, sedentemquè ad dexteram Patris; deprecor te, ut illuc te sequi, & tibi præsentari merear, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, & omnibus fidelibus miserere, & propitius esto mihi peccatori, Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

O Domine Iesu Christe, adoro

te in ſepulchro poſitum, myrrha & aromatibus conditum, depre-cor te, ut tua mors ſit vita mea, Amen. *Pater noſter. Ave Maria.*

Ad omnia Membra CHRISTI.

SAlve tremendum cunctis pote-ſtatibus Caput Domini Ieſu Chri-ſti, Salvatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salve pretioſiſſima Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti faci-es, pro nobis ſputis & alapis cæ-ſa. Salvete benigniſſimi Domi-ni Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri oculi, pro nobis lachrymis perfu-ſi. Salve melliſluũ os, gutturque ſuaviſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti, pro nobis felle, & aceto

pota-

potatum. Salvete, aures nobilissimæ Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumelijs, & opprobrijs, affectæ. Salve collum humile Iesu Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumq; sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini nostri Iesu Christi manus, & brachia pro nobis in Cruce extensa. Salve pectus mitissimum Domini Iesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salve latus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum. Salvete Domini nostri Iesu Christi Salvatoris nostri, sacra misericordiæ genua, pro nobis in orationi-

tionibus flexa. Salvete Domini Iesu Christi Salvatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum corpus Iesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum. Salve sangvis pretiosissime de corpore Domini Iesu Christi Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve sanctissima Domini nostri Iesu Christi anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios & consanguineos meos, animas Paren-

tum,

tum, fratrum, ſororum, & omnium amicorum, ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare & defendere digneris ab omnibus inſidijs inimicorum noſtrorum viſibilium, nunc & in perpetuum, Amen.

ORATIO
Ad B. VIRGINEM MARIAM.

OBſecro te Domina Sancta Maria Mater Dei, pietate pleniſſima, ſummi regis filia, Mater glorioſiſſima, Mater orphanorum, conſolatio deſolatorum, via errantium, ſalus omnium in te ſperantium, Virgo ante partum, Virgo in partu & Virgo poſt partum, fons miſericordiæ, fons ſalutis & gra-

tiæ, fons consolationis & indulgentiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ, per illam sanctam ineffabilem lætitiam, qua exultavit spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabrielem Archangelum annuntiatus, & conceptus Filius Dei fuit: & per illam sanctam & ineffabilem humilitatem, in qua tu respondisti Archangelo Gabrieli: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et per illud divinum mysterium, quod tunc operatus est in te Spiritus sanctus: & per illam ineffabilem gratiam, pietatem misericordiam, amorem & humilitatem, per quas filijs tuus, Dominus noster Iesus Christus de-

ſcendit accipere humanam carnem in venerabiliſſimo utero tuo. Et per glorioſiſſima quindecim gaudia, quæ habuiſti de Filio tuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & per illam ſanctam & maximam compaſſionẽ & acerbiſſimũ cordis dolorem quem habuiſti, quando Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ante Crucem nudatum & in ipſa levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, ſitientem, amariſſimum potum, fel & acetum ori ejus apponi vidiſti, Eli clamantem audiſti, & morientem vidiſti, & per quinque vulnera ejuſdem Filij tui, & per contractionem viſcerum tuorum præ nimio dolore vulnerum

ſuorum, & per dolorem quem habuiſti, quando vidiſti eum vulnerari, & per fontes ſanguinis ſui, & per omnem paſſionem ejus, & dolorem cordis tui, & per fontes lacrymarum tuarum; ut cum omnibus Sanctis & ElectisDei venias & feſtines in auxilium & conſiliũ meum in omnibus orationibus & petitionibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego ſum aliquid facturus, locuturus aut cogitaturus omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto virtutum omnium complementum, cum omni miſericordia & conſo-

consolatione, omni consilio & adjutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni salutatione pace & prosperitate, omni gaudio & alacritate, etiam abundantiam omnium bonorum spiritualium & corporalium, & gratiam sancti Spiritus, qui me bene per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet, & futura moderetur, vitam honestam & castam mihi tribuat. Fidem, Spem & Charitatem mihi præstet, articulos Fidei firmiter credere & præcepta legis

obſervare me faciat, ſenſus corporis mei regat & protegat, & à peccatis mortalibus me ſemper liberet, & defendat uſq; in finem meum: hanc orationem ſuppliciter exaudiat, & ſuſcipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi & intercede pro me dulciſſima Virgo Maria, Mater Dei & miſericordiæ. Amen.

Alia Oratio, ſeu Commendatio ad Virginem MARIAM.

O Domina mea ſancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hodie, & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam & corpus meum, tibi

tibi commendo, omnem ſpem meam & conſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, vt per tuam ſanctiſſimam interceſſionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & diſponantur opera, ſecundum tuam, tuiq; Filij voluntatem, Am.

ORATIO ad CHRISTVM.

BOne Ieſu, Verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere; doce me facere voluntatem tuam, ut à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritus, ubi eſt

certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix ſuavitas, & ſuavis jucunditas, ubi tu Deus cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia Oratio.

O Bone Ieſu, ô pijſſime Ieſu, ô dulciſſime Ieſu, ô Ieſu Fili Mariæ Virginis, plene miſericordia & pietate, ô dulcis Ieſu, ſecundum magnam miſericordiam tuam miſerere mei.

O clementiſſime Ieſu, te deprecor per illum ſanguinem pretioſum quem pro peccatoribus effundere voluiſti, ut abluas o-

mnes

mnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Ieſus invocantem.

O nomen Ieſu, nomen dulce, nomen Ieſu, nomen delectabile, nomen Ieſu, nomen confortans, quid eſt enim Ieſus, niſi Salvator, ergo Ieſu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi Ieſus & ſalva me, ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti.

O bone Ieſu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Ieſu recognoſce, quod tuum eſt & abſterge, quod alienum eſt.

O benignißime Ieſu miſerere

mei, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in ſanguine tuo, dum deſcendero in æternam corruptionem, non mortui laudabunt te Domine Ieſu, neque omnes qui deſcendunt in infernum.

O amantiſſime Ieſu, ô deſideratiſſime Ieſu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum, ô Ieſu ſolatium ad te confugientiū, ô Ieſu dulcis remiſſio omnium peccatorum, ô Ieſu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatem. caſtitatem & humilitatem, ut poſſim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſervire, & in

te glo-

te gloriari, & omnes qui invocant nomen tuum, quod eſt Ieſus, Amen.

Oratio Beati Thomæ de Aquino.

COncede mihi miſericors Deus, quæ tibi placita ſunt ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfecte adimplere, ad laudem & gloriam nominis tui ordina ſtatum meum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut ſciam. Et da exequi ſicut oportet & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus inter proſpera & adverſa non deficere, ut in illis non extollar, & in iſtis non deprimar, de nullo gaudeam, vel

doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi Domine omnia transitoria, & cara mihi sint omnia tua propter te, & tu Deus propter omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec aliquid cupiam quod est extra te, delectet me Domine labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine te. Frequenter da mihi Dominè cor ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me Domine Deus obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, hu-

milem ſine fictione, & hilarem ſine diſſollutione, triſtem ſine deiectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, timentem ſine deſperatione, veracem ſine duplicitate, operantem bona ſine præſumptione, proximum corrigere ſine elatione, ipſum ædificare verbo & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi Domine Deus cor pervigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio. Da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio. Da rectũ, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio. Da invictum, quod nulla tangat tribulatio. Da liberum, quod nulla ſibi vendicet perverſa & violenta affectio

Largire mihi Domine Deus meus intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiā te fideliter exſpectantem & fiduciam te finaliter amplectentem, tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs uti in via per gratiam, & tandem tuis gaudijs in patria perfrui per gloriam. Amen.

ORATIO in AFFLICTIONE.

O Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte verus Deus, qui de ſinu ſummi Patris omnipotentis miſſus in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere poſitos

ſolve-

ſolvere, diſperſos congregare, peregrinos in ſuam patriam reducere, contritis corde miſereri, dolentes & lugentes conſolari; Dignare Domine Ieſu Chriſte abſolvere & liberare me famulum tuum N. de afflictione, & tribulatione in qua poſitus ſum; & tu Domine, qui genus humanum in quantum homo, á DEO Patre omnipotente in cuſtodiam recepiſti, & ex pietate tua crudeli paſſione, nobis paradiſum pretioſo Sanguine tuo mirabiliter mercatus es, & inter Angelos, & homines pacem feciſti. Tu Domine IESV Chriſte digneris inter me & inimicos meos ſtabilire, & confirmare concordiam, & pacem, &

gratiam tuam ſuper me oſtendere & infundere miſericordiam tuam & omne odium, & iracundiam inimicorum meorum, quod contra me habent, digneris extingvere, & mitigare: ſicut iracundiam & odiũ Eſau abſtuliſti, quod habebat adverſus Iacob fratrem ſuum; ita Domine IESV Chriſte ſuper me famulum tuum N. brachium tuum, & gratiam tuam extendere, & me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu Domine IESV Chriſte, ſicut liberaſti Abraham de manibus Chaldeorum, & filium eius Iſaac de immolatione ſacrificij cum ariete, & Iacob de manu Eſau fratris ſui, & Ioſeph de manu fratrum ſuorum, Noe per arcam di-

luvij, & Lot de Civitate Sodomorum; famulos tuos Moyſen, & Aaron, & populum Iſraélem de manu Pharaonis, & de ſervitute Egypti; David regem, de manu Saulis, & Goliæ gigantis, Suſannam de falſo crimine, & teſtimonio; Iudith de manu Holofernis; Danielem de lacu leonum, tres pueros Sidrach, Miſach, & Abdenago de camino ignis ardentis. Ionam de ventre Ceti; & filiam Chananeæ quæ erat tormẽtata per diabolum; & Adam de profundo puteo inferni cum pretioſiſſimo Sangvine tuo; Petrum de mari, & Paulum de vinculis; ita me famulum tuum N. dulciſſime Domine IESV Chriſte Fili Dei vivi liberare di-
 gne-

gneris, ab omnibus inimicis meis, & ſuccurrere in adiutorium meum per ſancta beneficia tua, per ſanctam Incarnationem tuam quam accepiſti ut homo de Virgine Maria; per ſanctam Nativitatem tuam, per famem, per ſitim, per frigus, per calores, per labores & afflictiones, per ſputa, per alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, per ſpineam coronam, per potationem fellis & aceti, per ſæviſſimam mortem crucis, per ſeptem verba, quæ pendens in cruce dixiſti, ſcilicet DEO Patri omnipotenti; ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Dixiſti Domine latroni in cruce pendenti; Amen dico tibi, hodie mecum eris

in Paradiſo. DixiſtiDomine Patri tuo; Eli, Eli, lamaſabathani? quod eſt interpretatum; DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquiſti me; Dixiſti Domine Matri tuæ; Mulier ecce filius tuus. Deinde diſcipulo; Ecce Mater tua; oſtendens curam te habere tuorum amicorum. Dixiſti Domine, Sitio, ſcilicet ſalutem animarum ſanctarum, quæ in lymbo fuerunt & noſtram cupiendo. Dixiſti Domine Patri tuo; in manus tuas commendo ſpiritum meum. Dixiſti Domine, conſummatum eſt; ſignificans labores, & dolores, quos pro nobis miſeris ſuſcepiſti, iam finiri. Propter hos etiam rogo te RedemptorDomine IESV Chri-

ſte, ut me famulū tuum N. cuſto-
dias ab hoſte maligno, & ab omni
periculo hic in præſenti, & in fu-
turo defende me per deſcenſio-
nem tuam ad inferos, per ſanctam
reſurrectionem tuam, & frequen-
tem diſcipulorum tuorum conſo-
lationem, per admirabilem Aſcen-
ſionem tuam, per adventum Spiri-
tus ſancti Paracleti, per diem tre-
mendi judicij; per hæc omnia ex-
audi me Domine, & per cuncta be-
neficia tua, & etiam pro cunctis
beneficijs tuis mihi famulo tuo
collatis; quia tu me feciſti ex ni-
hilo, tu produxiſti me, tu ad fi-
dem ſanctam tuam perduxiſti me;
& contra diaboli tentationem me
præmuniſti, vitam æternam pro-

mit-

mittendo, propter iſta, & omnia alia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt; rogo te dulciſſime Domine IESV Chriſte, ut ab omnibus periculis animæ & corporis pro tua pietate, & miſericordia me famulum tuum N. nunc & ſemper liberare digneris, & poſt huius vitæ curſum, ad te Deum vivum & verum me perducere digneris. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſalmus In tribulatione.

QVi habitat in adiutorio Altiſſimi: * in protectione DEI cæli commorabitur.

Dicet Domino, Suſceptor me-

us es tu:* & refugium meum: Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqveo venantium:* & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obũbrabit tibi:* & ſub pennis eius ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas eius:* non timebis â timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negatio perambulante in tenebris:* ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis:* ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis:* & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea:* altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum:* & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandauit de te:* ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te:* ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcū ambulabis:* & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit liberabo eum:* protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exau-

diam eum: * cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: * & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri &c.

ORATIO.

DEVS qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentiũ non ſpernis affectum, adeſto precibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque clementer exaudi: ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduerſitates, ad nihilum redigatur; & conſilio tuæ pietatis allidatur; quatenus

nullis aduersitatibus læsi, sed de omni tribulatione, & angustia erepti, in Ecclesia tua tibi gratias referamus. Dimitte Domine peccata nostra ,& tribue nobis misericordiam tuam quam precamur; ut humilitatem nostram attendas, vincula soluas, delicta deleas, tribulationem avertas, adversitatem repellas, effectumque petitionis nostræ largiens supplices tuos clementer exaudias. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum &c.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Ad dulcem contriti cordis occupationem à quodam Lusitaniæ Principe compositi.

PSAL-

PSALMUS I.

Quis dabit capiti meo aquam, * & oculis meis fontem lachrymarum.

Ut mœrore congruo animæ meæ damna deplorare ſufficiam: * adeſt quippe manifeſta & maxima cauſa mæſtitiæ cum antiquos dies cogito: juveniles annos conſidero mentis intuitu.

Jn hac meditatione defecit ſpiritus meus, * ſcio enim qualis fuerim, imò qualis fuiſſe non deberem.

Cognoſco qualis ſum, * timeo qualis futurus ſim.

Et eò magis timeo, * quò minus doleo.

Utinam magis dolerem, * ut minus timerem.

Sed Domine quia iam diu percutis & nondum doleo, * tam diu vocas & adhuc non audio.

Jam diu pulſas & cordis mei peſſulum non aperio, * circumdant me dolores mortis.

Et cum multis replear doloribus exteriùs, * nullum prorſus qui ad ſalutem operetur, dolorem ſentio interiùs.

Nec ſolos ſenectutis dolores experior, *

ſed

ſed vir dolorum ego ſum à iuventute mea.

Cunctique dies mei laboribus, * & ærumnis pleni ſunt.

Et tamen doleo, * quia ſemper dolens dolere neſcio.

O! ſtupendam & infallibilem Cœleſtis Medici Sapientiam! * & immenſam ſummi Regis bonitatem.

O ſingulare omnium bonorum, * largitoris beneficium.

Das enim mihi dolores ne peream iucunditatibus, * & ut diſcam ſine offenſione iucundari.

Das dolores temporales nè patiar æternos, * affligis corpus, ut ſalves animam.

Flagellas ut ſanes, * occidis ut vivifices.

Sed proh dolor: * medicinam ex occulta manu miſericordiæ tuæ invitus ſuſcipio.

Et antidotum ſalubrium dolorum quibus miſericorditer in me ſævis, * rudis non agnoſco.

Et quomodo agnoſco, ſi inſtanter à te peto, * ut à me auferas dolores, qui tamen ſine doloribus ſalvari non poſſum.

Quomodo enim niſi per dolores ſanabitur,

tur, * qui per delectationes infirmatur.

Fac ergo Domine ut doleam, * & doce me ſalutarem dolorem.

Quo triſtitia mea vertatur in gaudium, * & exultem in ſalutari tuo dicens,

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS II.

FLuunt dies & labuntur anni, ſed infelix ego homo, * qui poſt tot animæ meæ labes, poſt caſus graviſſimos ac diuturnos nondum reſipiſco.

Nec compungor de peccatis meis, in ea frequenter relabi contemno, * ab eis reſurgere non curo, nova veteribus & maiora minoribus accumulans.

Quid faciam Domine aut quo ibo, * cum noviſſimum tempus meum, venerit? * ubi abſcondar à vultu iræ tuæ, aut quo à facie tuâ fugiam?

Cum vocaveris me ad judicium, * & requiſieris à me de talento mihi tradito rationem, quid reſpondebo tibi, aut quomodo negligentiam meam excuſabo.

Cum ſederis ſuper Thronum Maieſtatis tuæ & uſque ad ultimum quadrantem, * præce-

præceperis mihi reddere rationem villicationis meæ.

Dicam equidem Domine vim patior responde pro me, * quis enim ego ſum ut reſpondeam tibi in judicio.

Sed quid ſi me ipſum reſpondere compellas? * quid confuſus, territus, ac tremens dicam?

Nihil Domine perlucratus ſum quin imò nequiter, * & inaniter conſumpſi talentum tuum ac bona tua vivendo, luxuriosè diſſipavi.

Stulte quidem locutus ſum dicens vivendo, * rectius enim moriendo dixiſſem, ſed vivere me tunc putabam & mortuus eram.

Quia ſine te vera vita mea vivebam: * & ſi aliquando tecum vixi, vix memini.

Quin imò ſi vita impij, mors potius quàm vita dicenda eſt, * merito dicam quod prius cæpi mori, quàm vivere.

Nondum enim quid vita eſſet perfectè intellexeram; cum jam te vitam vitarum, * ac fontem vitæ dereliqueram, & in multis ſceleribus ætatem malitia ſupplevit.

Ex utero matris meæ egreſſus non fueram, & jam peccator eram, * in mundum ingre-

ingrediens, peccata in quibus genuerunt me Parentes mei adhuc peccati nescius deflevi.

Nec penitus cessaveram aliena flere peccata: * quando propria commisi, quæ cognovi & non flevi.

Jnfans iniquitates colui & pueritiam in quâ purus esse debui, impurus egi; exhalabantque de limosa concupiscentia carnis & scatebra pubertatis & obnubilabant cor meum.

Ut non discernerem lucem à tenebris & serenitatem mentis à caligine libidinis, * & ætatem imbecillem obliviosam ac lascivam rapiebat voluptas perfida ac dolosa per abruta cupiditatis, & ebulliebã per scortationes meas; in inferis satiari desiderans.

A pueritia veni in adolescentiam nec factus sum citius adolescens quò citiùs mea pravitas adolevit, * & sylvescere ausus sum varijs & umbrosis amoribꝰ, à quibus abstractus & illectus flagitiorum gurgite mergebar in interitum & perditionem.

Dies adolescentiæ meæ malæ & nefandæ transierant, & pergebam in juventutem sed ad priores revertebar, * quantò ætate maior, tantò vanitate turpior, juvenis fui

& at-

& attigi virum, & viguit in me vitium ſemper pro virtute.

Senui & incanui nec ambulavi in vijs tuis: * ſed velut puer centum annorum puerilia adhuc ſenex facio.

Ubi ego aliquando innocens fui ut ſecundum tempus innocentiæ meæ à te velim judicari, etiamſi illud conſtituas mihi ad judicium? * juſtus es enim Domine & rectum judicium tuum, reddiſque unicuique ſecundum opera ſua.

Ego autem omnia mea vereor, quoniam opera tenebrarum ſunt * & operarius iniquitatis fui ab initio.

Atque impiorum ſemitas libens ſemper ſeqvutus ſum, * jacui in vitijs, ſicut porcus in immunditijs, & ſicut ille ſiliquis paſcitur, ſic ego fabuloſis & ſcurrilibus verbis oblectabar.

Serijs autem & utilibus contriſtabar: * cum operantibus iniquitatem communicabā, & cum electis eorum convivabar & gloriabar in malitia, qui potens eram in iniquitatē.

Excuſare me amabam, accuſare neſciebam & ingravabam cor meum: * eòque

peccatum meum inſanabilius, quò me peccatorem non eſſe arbitrabar.

Nec ſolum medicinam animæ meæ ad mortem infirmanti non quærebam, ſed oblatam recuſâbam, * & adverſus eam mihi miniſtrantes animo irreverenti & infrunito indignabar.

Arguentes me perſequebar, loquentes verò mihi placentia amplexabar, * & in illorum ſermonibus mihi complacui, qui non habebant cor rectum ad te, ſtudui in commentis ac mendatijs.

Et in cunctis dilexi magis tenebras quàm lucem: * ecce vitam meam annuntiavi tibi Deus meus, hæc eſt ſeries vitæ meæ, in quâ iram tuam merui, hæc reſpondebo tibi cum interrogaveris me de me.

Sed tu delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine, * nec intres in judicium cum ſervo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Si intrare tamen velis, quoniam Deus diligens judicium tu es, fac mecum judicium, * ſed non fac iuſtitiam, & iudica me ſecundum judicium diligentium nomen tuum,

um,

um, ut cantem tibi misericordiã & judiciũ.

Memento Domine quod licet nequam ego sim, * servus tamen tuus sum, & filius ancillæ tuæ.

Et non ad multitudinem miseriarum mearum, sed ad magnitudinem miserationis tuæ aspicias, * ut cum propter scelera mea iratus fueris in me, misericordiæ tuæ recorderis.

Ut non in æternum irascaris mihi sed miserearis tribulato servo tuo, * ut te laudet anima mea, & confiteatur miserationes tuas.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS III.

HEi mihi misero: quia iratum adversum me, constitui Redemptorem meum * & legem eius contumaciter neglexi.

Jter rectum sponte deserui & sicut ovis renuens Pastorem suum per loca arida, * & inaquosa longè lateq; circumactus sum.

Errans in invio & non in via, aspera quæque & inaccessa penetravi, * & ubique tribulatio & angustiæ, in via iniquitatis & perditionis lassatus sum.

Et ambulavi vias difficiles quærens requiem, * & non inveniens.

Quia non te Domine quærebam ſed in terra ſterili & in regione mortis ubi nulla requies, * ſed labor continuus & afflictio ſpiritús inhabitat: ibam.

Cum in honore eſſem non intellexi, * ſed quaſi unus ex gregibus brutorum, inter luſtra ferarum fuit incolatus meus.

Jn anxietatibus cum voluptatibus moratus ſum, & in ſentibus cubile meum ſtravi, * & obdormivi in interitu, & ſperavi requiem in tormentis.

Nunc ergo quid agam? quo me in tantis periculis vertam? * ſpes adoleſcentiæ meæ corruerunt omnes.

Et factus ſum naufrago ſimillimus * qui mercibus amiſſis nudus enatat.

Jactatus vento, pelago elongatus à portu, * & vitam ſalutis non apprehendo, ſed rapior ſiniſtrorſum.

Retia mihi diſpoſuit hoſtis, quocunque ibam, * & pedibus meis laqueos tetendit.

Ego autem deſpexi, & inceſſi ſecurus inter lubrica, * & in peccatis meis mihi blanditus ſum.

Cre-

Credidi juventutem mortis lege non teneri, * & hác fiducia deceptus abij post turpia carnis meæ desideria.

Et ultra modum sensualitati habenas relaxavi, * sequens eam quocunq; me ferebat impetus.

Et dixi insipiens in corde meo, * quid ante medium de extremis cogitas.

Longa tibi restat dies; * converti poteris cum volueris.

Sic inveteravi in peccatis, & consvetudo pessima versa est in naturam, * jamque velut peccati mancipium catenatus illi servio.

Et quasi freneticus odiens carnem suam, * dum sibi ipsi manus inferre laborat deliberationis ratione sopitâ.

Sic ego gravius ac periculosius odivi animam meam, * siquidem nefarias & violentas manus sibi ipsi iniecit impænitentia cordis mei.

Et peccandi obstinata voluntas infelicem animam meam, * proprijs manibus laceravit & exulceravit.

Atque ita gehennæ cumulos mercatus in dies magis secundum duritiem meam, & impœnitens cor meum * thesaurizo mihi iram in diem iræ.

Vetuſtum iugum à me excutere aliquando tentavi, * ſed non valeo, quia inhæret oſſibus.

O ſi tandem excidat à collo meo, ut te diligam vel ſero; excidet quidem ſi tu iuſſeris Domine, & auxilium mihi miſeris ex alto.

Non merui fateor, ſed tu largitor optime, * qui ſolem tuum æqualiter oriri fabis ſuper bonos & malos.

Et indignis etiam non poſcentibus, bona temporalia concedis, * quomodo ſpiritualia petentibus denegabis.

Miſerere ergo mei Deus, & imple petitionem pauperis, * qui dives es in miſericordia, ac ſoles in hilaritate miſereri.

Et purgas voluntatem à conſvetudine mala, * & exaudis gemitus compeditorum.

Et ſolvis à vinculis quæ nobis facimus, * ſi non erigamus adverſum te cornua falſæ libertatis.

Operi manuum tuarum porrige dexteram, * ut non cum cecidero collidar.

Et colliſus detrahar in profundum lacum, * in quo non eſt aqua.

Libera me de ore Leonis truculenti ad

præ-

prædam parati,* & animæ meæ inhiantis vt devoret.

Protector enim meus & liberator meus tu solus es,* & in sola misericordia tua tota spes mea est.

Fiat igitur misericordia tua super me,* quemadmodum speravi in te.

Speravi, & non confundar, * sed voti mei compos cantabo tibi.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS IV.

NOctes meæ in mærore transierunt, & terroribus me agitant innumeris, * conscientia concutit insomnem & velut gladio ancipiti, ab ea vulneratus torqueor.

Somnus meus varijs illusionibus turbatur, non mihi quietem afferens, sed laborem;* in cogitationibus meis pernocto & cum defessus conor dare palpebris meis dormitationem, illico somnus recedit ab oculis meis, & in doloribus dormio semper à diurnis curis, inquietâ lassitudine excitatus, & effervent omnia interiora mea absque requie.

Abominabilis factus est animæ meæ cibus

bus ante desiderabilis, potus meus cum fletu miscetur, * & confusio ante oculos meos ruborque in genis meis cum recordor quam graviter te offenderim Deus meus & quam varijs modis, viribus meis ac donis tuis abusus sum.

Dies meos in vanitatibus prodegi, consumpserunt me curæ immortales, * & insensatis cogitationibus huc & illuc distractus, irreparabilem feci temporis jacturam, somnia mihi multoties fingebã & gaudebã.

Evanuiq; delusus in vanitatibus & deliramentis meis, ascendebam usque ad cælos & confestim descendebam, usque ad abyssos * & dum abyssus abyssum invocat, contabuit in malis anima mea.

Et computrui coram oculis hominum, optabam impossibilia, * & phantasticâ illorum fruitione, similis factus sum dormientibus, qui é somno surgentes nihil invenerunt in manibus suis.

Vilis ego sum verniculus, & tamen nunquam me Domine cognovi, * sed erecto supercilio me solum super omnes exaltavi, temereque jactavi verba mea & in iactantia sapientiam esse existimavi.

Inse-

Jnfeſtus fui ſocijs meis, & multis ſæpe iratus, * abſque cauſa contumelias irrogavi, abhortui patientiam & dilexi iram.

Nec cauſa ſuberat, & iraſcebar ſervis,* atque familiaribus meis imò & mihimet indignatus maledixi.

Et amicis meis cum ludibrio exprobravi, adverſitates meas invitus tuli, * & magis in homine quàm in Domino confidi.

Jmpatiens veritatem audivi, & in furore ſapientibus reſpondi, * aſpiravi libenter ad injurias & vindictas & ultionem Deo nunquam reſervavi.

Adverſus tuentem ſuam cauſam exaſperabar; nec reſponſio mollis, aut vir levis complacebat. * In litibus & contentionibus recreabar, & inimititias ac diſcordias malevolus ſæpe inter fratres ſeminavi.

Salubria & recta Conſilia auribus percepi, ſed diſciplinam non apprehendi, * Conſiliarios prurientibus auribus placido aſpiciebam vultu, libero verò animo loquentes mihi longe faciebam â me.

Egentibus manum non extendi, & cum eſurientibus panem meum non comedi, in plateis jacebant leproſi, & mendici, * ego

 autem

autem transibam avertens oculos ab eis ne commoverentur viscera mea, & misericordiâ commotus eleemosynam darem eis.

Debitum mihi mutuantibus non solvi, & ut inordinato appetitui parerem, ære alieno me gravavi. * ad illicita patranda dives esse concupivi, ad officia verò pia semper me pauperem ostendi.

Et quod pietati defuit, concupiscentiæ meæ affluenter abundavit, * in commessationibus, & convivijs ultra modum lætatus sum, & naturam paucis contentam insatiabili voracitate vitiavi.

Venter meus, fuit quasi Deus meus & gloria mea in pudendis eorum, qui terrena sapiunt * accuratiores, & svaviores cibos exquisivi, & obtentu necessitatis obumbravi sæpe negotium voluptatis.

Cum adulteris portionem meam posui, & cum mæchis familiaris conversatio mea fuit: * in sanguinibus immoderate versatus sum, & iumentis insipientibus comparatus, adeò me in hoc vitio prostravi, ut pudeat dicere, quæ non puduit fecisse.

Vanitati aures & lingua mea serviebant, dum per illam impinguabat caput meum

oleum peccatoris, * & per hanc ſæpe ſupplevi, quod in laudibus meis alij minus feciſſe videbantur, & cum opportune poteram tradere alijs laudes meas, & meo & alieno ore ſemper geſtiebam prædicari.

Jn omni deniq; genere deliciarum ſæculi, * à delicijs domus tuæ longe lateque exulavi.

Et ſi quando metus mortis ac futuri iudicij ſocordiam meam excitabat, * & me à profundiſſimo voluptatis gurgite ad horam revocabat, ſubito tanquam canis ad vomitum revertebar.

Jn ijs mortuus adhuc vivo, & in morte manens, * ad mortem feſtino, eamque cum feſtinatione quoque venientē ad me video.

Sed cito anticipent me miſericordiæ tuæ Domine, * priuſquam veniat dies illa terribilis calamitatis & miſeriæ dies magna & amara valde.

Ut tametſi moriar, & vivam, * & enarrem miſerationes tuas ſuper omnia opera tua.

Reſpice Domine, & vide quomodo anima mea iacet in concupiſcentijs ſuis, * paralytica, & ab eis male vexatur.

Erue

Erue eam de viſco tenaci mortis ut tibi ſoli, qui ſolus vita es, inhæreat, * & relictis omnibus ſequatur te qui es ſuper omnia. Dic animæ meæ Domine Deus ſalutis meæ, ſalus tua ego ſum, fiat tibi ſicut vis.

Fac audire me hanc vocem tuam vocem exultationis & ſalutis, ut curram poſt eā, * & apprehendam te, apprehenſumque teneam nec dimittam donec me ſanum dimiſeris.

Ad quem enim præter te infirmus ibo, ut curet me? * aut quis poterit ſanare infirmitatem meam, niſi qui propter homines & propter humanam ſalutem deſcendit de cælis, ut ſanarênter à languoribus ſuis.

Quis vivificare poterit niſi qui mortificat & vivificat omnia? * qvis ſalvare poterit niſi tu Deus meus, & Salvator meus in tempore tribulationis? ſalva ergo & vivifica me, qui vita & ſalus æterna es omnium in te confidentium.

Tibi autem initij experti ſine fine gloria, tibi laus, & honor, * tibi iugis adoratio, tibi gratiarum actio, fons perennis miſericordiarum.

Procul

Procul enim à te recesseram & elongavi fugiens: * & tamen ægro fugienti, dum te vocat, præsto ades, priusque ei salutem tribuis quam gemitum audias.

Sufficit enim velle sanari, ut sanes velle vivere, & vitam præstes, * & in benedictione dulcedinis tuæ prævenis desiderium peccatoris seipsum cognoscentis.

Dicam ergo tibi Domine, & sufficiet mihi, iniquitatem meam ego cognosco, & quid est cognosco, nisi sanari volo? * & unde cognosco quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde à peccatis meis.

Ecce iam iniquitates meas pono in conspectu tuo Deus meus, * ut cures & sanes animam meam, quia peccavi tibi.

Sicut enim non volens Deus iniquitatem tu es, ita non vis mortem peccatoris, * sed magis ut convertatur & vivat.

Non enim mortui laudabunt te Domine, * sed nos qui vivimus benedicimus Domino, & confitemur ei, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, &c.

PSAL.

PSALMUS V.

MIſerias meas tibi Domine revelavi, * non ut tibi notas faciam vias meas.

Qui omnes ab initio prævidiſti & omnes greſſus meos dinumeraſti: * noſti enim abſcondita tenebrarum, & oculis tuis nuda & aperta ſunt omnia.

Jpſaſque non modo cernis, ſed & diſcernis cogitationum latebras, * & medullas affectionum.

Sed detego ut tegas, ac protegas, revelo ut abſcondas humiliatumq; & contritum ſpiritum in me agnoſcas? * & per huius oblationem Sacrificij, & tibi omnium gratiſſimi propitius mihi ſis ac parcas peccatis meis.

Multa dixi & quidem gravia, * ſed pauca hactenus commemoravi.

Jn pluribus enim pungit me vermis conſcientiæ meæ, * utinam rodat putredinem.

Ut rodendo conſumat & ipſe pariter conſumatur nec foveri incipiat in immortalitate: * ſed mordeat ut moriatur, & paulatim deſinat mordere mordendo.

Sed heu mihi, quia cum finẽm me feciſſe puto, in anuntiandis malis meis, * tunc cogor quaſi denuo incipere. Et

Et memoria mea plena ſpurcitiarum: * abundantius alias atque alias recolit ſordes.

Peccavi enim, * ſuper numerum arenæ maris.

Etſi mihi centum ſint linguæ oraque centum, * vix è mille millibus unum referam.

Jd tamen dolorem meum auget quod omnes tranſactas fæditates meas, * & carnales corruptiones animæ meæ reminiſci non poſſum.

Dum enim nova committo crimina, * veterũ obliviſcor, ſed quæ recordor non ſilebo.

Non quo amplius ea amare velim, * ſed ut te validiſſimè amem, Deus meus.

Et ut recolenti vias meas nequiſſimas in amaritudine cogitationis meæ dulceſcas mihi, * dulcedo non fallax, dulcedo amabilis, dulcedo felix, & ſecura.

Amica itaque mihi fuit invidia, * & charitas inimica.

Regibus & Principibus atq; Eccleſiæ miniſtris detraxi, * & momordi eos mendaci ſuſurro.

Juſtorum laudes & merita denigravi, * & impiorum facta approbavi.

Si quando de probis hominibus ſermo erat,

erat, * obijciebam falſas maculas & occultos eorum defectus propalabam.

At in leviſſimis quaſi de graviori crimine, * apud alios accuſabam.

Si vero contra pravos infamia laborabat, * repente exiles virtutes eorum concionabar.

Et meritis dignioribus eos anteferebam, * ſicq; maioris eis ruinæ cauſa fui.

Si videbam furem, currebam cum eo, * & cum nequitiam meam conſumarem adverſus filium Matris meæ ponebam ſcandalum.

Et à calumnia & fraudibus, * conſanguineis meis non parcebam.

Optavi proximo meo infelicitatem & ærumnas, * & in ſolâ morte illius ſpem meam collocavi.

Jnnocentium cauſam non defendi, * & nocentibus quaſi de eorum cruciatibus, gaudens improperavi.

Multos temere culpæ reos eſſe judicavi & in oculo fratris mei modicam feſtucam videns, * in proprijs oculis magnam atque craſſam trabem non ſenſi.

Acediam tanquam Matrē meam colui; * fuit otium mihi Frater.

Et

Et fugi omne honeſtum exercitium ac laborem,* torpebam per dies, & de quotidianis in me locatis beneficijs, grates Deo meo non reddebam.

Quàm raro vero per noctes in lege tua & in mirabilibus tuis, meditatus ſum tu ſcis Domine,* inſomnis ſæpe totam noctem duxi.

Et cum mens mea huc atque illuc ab uno te vagaretur in multa,* nullibi occurriſti ei.

Sine te ad lectum acceſſi, ſine te in lecto cubui, ſine te à lecto ſurrexi:* ſine te illuxit dies; ſine te tota nox pertranſijt.

Et ideo ſine te ſemper fui, quia mecum ſemper fui,* qui longe abſum à te in tenebroſo affectu meo.

Si forte tamen veniebas mihi aliquando in mentem,* & mirabilia tua opera conſiderare incipiebam.

Subito ſarcinâ ſæculi* velut ſomno aſſolet dulciter premebar.

Et cogitationes quibus meditabar in te,* ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine demerguntur.

De rebus conſcientiæ meæ ſæpè ordinare propoſui,* ſed deluſit me ſemper dies præſens ſub expectatione futuri.

Supra fragile ac fallibile fundamentum innixus ſum, & baculo arundineo atque infracto incubui: * & dum in eo confiſus putavi me firmiter ſtare, cecidi in ignem; & agnovi cadens, quâm debiliter ſtetiſſem.

Jnhiaui ſiti inextinguibili honoribus ac lucris, * & in his cupiditatibus ſæviſſimas paſſus ſum difficultates.

Quilibet incompoſitus & indiſciplinatus mihi amicus erat, * & venam amicitiæ coinquinabam ſordibus concupiſcentiæ, candoremque eius obſcurabam.

Tartarea libidine rapiebant me ſpectacula theatrica, * plena imaginibus, miſeriarum mearum & fomitibus ignis mei.

Nec ſolum aditum morti non obſeravi, * ſed etiam feneſtras ei aperui.

Fueruntque ſingula membra mea feneſtræ ſingulæ, * quibus mors ad animam meam intravit.

Et ſic ſubeuntibus novis, veteres ſordes minimè expurgavi, * quin potius multa horum in me germinaverunt peccata.

Pro-

Propter quæ â facie tuâ eiectus ſum, Deus meus, * & à tuæ præſentiæ conſolatione deſtitutus quaſi in deſperationem corruo ignorans quò vadam.

Sed quò à te recedens ibo? aut quis in faciem meam aſpiciet ſi tuam averteris à me, * & velut reprobatum tuo me privaveris conſpectu.

Odioſus procul dubiò ero omnibus hominibus * & tanquam vagus ac profugus in terra.

Jn opprobrium & deriſionem ero eis, * dum quæſierint à me ubi eſt Deus tuus & quare repulit te à ſe.

Quid igitur faciam miſer, cum me à protectione tuâ alienum, * & in medio inimicorum meorum, adverſum me fortiter pugnantium à te derelictum intuebor.

Faciem tuam Domine requiram, * & vultum tuum gemebundus deprecabor.

Ne derelinquas me, * & ne declines in ira â ſervo tuo.

Me etenim tanquam fugitivum ſeqvuntur omnes inimici mei, * ut comprehendant & occidant.

Et ideo ad te quem fugi, confugere me

 opor-

oportet: * Deus meus fortitudo mea, refugium meum & virtus mea in die tribulationis.

Sicut enim non eſt Deus abſque te, * ita abſque te non eſt Salvator.

Tu ergo Domine, qui omnes miſerias meas noſti, * & à quo figmentum fragilitatis meæ non eſt abſconditum projice poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Et iniquitatum mearum antiquarum nè memineris, * ſed ſalvum me fac ſecundum miſericordiam tuam ab omnibus perſequentibus me, & libera me.

Quoniam non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat, * niſi tu Domine, qui ſalvos facis omnes ſperantes in te.

Et liberas pauperem à potente, * & de manu fortiorum eius.

Nè abſcondas ergo Domine â me faciem tuam, * nè deſpicias me Deus ſalutaris meus, firmamentum meum & liberator meus.

Quoniam pauper & inops ego ſum nimis: * oculi autem tui in pauperem reſpiciunt.

Et ſi juſtitia tua me quæſierit, * abſconde me in ſinu benignitatis tuæ.

Quâ

Quâ me ferens longanimiter ad pœnitentiam invitasti,* longanimis enim es, patiens, & multum misericors atque præstabilis super malitia.

Quin imò nihil tibi magis proprium, * quam misereri semper & parcere.

Et ideo omnium misereris, quia omnia potes, * & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Parcis autem omnibus, * quoniam tui sunt Domine, quia amas animas.

Convertere ergo ad me conversum ad te, * eripe afflictam animam meam, de omni angustiâ.

Ut repleatur os meum laude, * & dicat tibi Benedictus Dominus, qui non permisit me dari in captionem dentibus adversariorum meorum.

Nisi quia Dominus mihi adiutor fuisset forte vivum deglutissent me: * Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantiū.

Laqueus contritus est, * & ego liberatus sum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS. VI.

ME miſerum quid agam, quia ſingularis fera depaſta eſt animam meam, * & factus ſum in prædam inimici.

Omnibus me ſpoliavit bonis quibus tu me Domine ornaſti, * & coram te timeo nudus apparere.

Dives ac decorus à facie tua egreſſus ſum, & abij vagus poſt ſordes in via corrupta, * & in pravitate cordis mei & denigrata eſt anima mea ſuper carbones, & immutatus color eius optimus.

Et qui croceis nutriebar amplexatus ſum ſtercora: * adeoq; vilibus peccatorum veſtibus indutus, memetipſum exinanivi ac deformavi, ſecundum ſimilitudinem prævaricationis Adæ.

Ut in imagine in quâ tu Domine creaſti me, tibi iam cognitus non ſim, * & quaſi ſcabioſam ovem inter oves paſcuæ tuæ me commorari non permittes.

Quomodo ergo ad præſentiam immenſæ Majeſtatis tuæ, in cuius conſpectu cæli non ſunt mundi, * vacuus, immundus, ac vilis, audebo redire, & delinquendo infatuatus communicare cum electis tuis.

Redi-

Redijssem utique licet pavidus ac pudefactus, * paterna tamen tua benignitate fretus, dulcis enim Pater es filio proficiſcenti in longinquam Regionem.

Sed ex diuturna peregrinatione redeunti multò dulcior, * attamen redeundi ad te Deus facultate careo.

A ſæviſſimo enim prædone vinctus teneor non ferro alieno, ſed ferreâ meâ voluntate, * ex quâ catenam mihi conſtrinxit inimicus, & in operibus, atque in omni vitioſo famulatu ad amaritudinem perducit animam meam.

Refugium meum longè eſt à me, quia longe à peccatoribus ſalus, * & in miſera ſervitute mori compellor; niſi tu Domine de cælo proſpiciens opem feras.

In limoſo profundi luto infixus ſum & tempeſtas tentationum quaſi fluctus ſævi maris obruit atque demerſit me, * ita ut imminentia pericula poſſe me evadere deſperem niſi aſſumpſeris me Deus meus.

Quô enim ſurgere magis nitor, eô gravius allidor intus; * & foris mihi ipſi ſum moleſtus & utrobique hoſtes domeſticos invenio, qui me peſſundant.

 Ad

Ad dexteram & ad ſiniſtram circumſpicio, & neminem cui me tuto credam video, * ſed undequâque metus concutit & ad quemcunq; diverto amicum, fidelem non reperio.

Et quomodo reperiam, qui Deo meo datam fidem non ſervo? * conſolantem me quæſivi in afflictionibus & calamitatibus meis, & non fuit qui me conſolaretur ex omnibus charis meis.

Sed incidi in homines verboſos, & loquaces nimis, quin potius mutos; * & ob hoc mutos, quoniam non ex eis ſonabat verbum tuum Deus meus.

Sed delictum oris eorum ſermo labiorum ipſorum: qui defectus meos ſine compaſſione damnabant, * & inſultantes mihi durè & invectivè adverſum me jurgia provocabant.

Stultis deceptoribus ſæpè ſuffragatus ſum & à recto tramite declinans, in eorum ſententiam ignarus ivi; * ſenſimq; atque paulatim ab eis perductus ſum ad eas nugas & inſanias: ut quamvis à vera Religione (te opitulante) nunquam defecerim, crederem tamen multas nænias.

Cæte-

Cæterum inexcuſabilis homo ego ſum;* quia cum te Deum in veritate ſemper cognoverim, non in veritate & ſpiritu adoravi.

Sed commutavi veritatem in mendacium, & ſervivi creaturæ potiùs quàm Creatori, * & in rebus corruptibilibus me atque cæteras voluptates meas exquiſivi.

Sed age Domine dulcedo mea, & fiducia mea, * & quemadmodum feciſti, ut in verâ fide te agnoſcerem, excita me in peccatis dormientem, & illumina oculos meos nè unquam obdormiam.

Jllumina, accende, & erige eos ad te, ut in lumine tuo videant te lumen æternum, * lumen indeficiens & inextinguibile, lumen dulce & delectabile.

Videant & lætentur, atq; concupiſcant decorem tuum, * ſciantq; nihil præter te vel in te, & propter te eſſe diligendum.

Tu Domine qui lux vera es, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, * fac oriri hoc lumen tuum in tenebris meis & deſiderare me iuſtificationes tuas.

Ut vi amoris liquefacta anima mea deficiat in ſalutare tuum, * atque ſitiat delectationes tuas.

 Ani-

Animam meam dico, ſed liceat mihi tuam dicere, tua enim eſt, * quia tu eam creaſti ac dediſti, mea vero eſt, quia ego eam à te recepi.

Cuſtodi ergo creaturam, quam ad tuam imaginem ſingulariter formaſti, * & nè permittas perire pretioſum donum tuum, quô me ſuper omne opus manuum tuarum ſublimaſti.

Jn corpore meo, & in membris meis, exige quidquid velis: * induatur caro mea putredine, & conſumatur vermibus: ſed quæſo Domine, tantum parce animæ meæ & in eam non extendas manum tuam.

Reduc me in vias tuas, ante ſolis occaſum, * (adveſperaſcit enim) & coge me ire ad te, ſi vocare parum eſt.

Coge ut libet, modo vadam, & non peream propter me, * quia tuâ miſericordiâ toties abutens eâ me indignum feci.

Sed propter Nomen Sanctum tuum aufer à me cor lapideum, * & da mihi cor carneum: ac pone Spiritum tuum in medio mei, ut ambulem in præceptis tuis, & judicia tua cuſtodiam.

Serò nimis advenio Domine fateor utinam

nam venissem citius, * sed scio & certus sum quod venientibus tempus non præscribis, modo veniant.

Nec minùs benignè recipis novissimos quamvis enim odio peccatum habeas, * peccatorem tamen non odisti nec in perditione eius lætaris.

Et ideo etsi longam moram fecerit, * tu tamen patienter expectas eum.

O quam dulcis, ô quam suavis vox illa tua Domine, in qua animæ meæ spem dedisti: * fornicata es cum amatoribus multis, tu tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.

Quàm delectabile ac jucundum verbum illud, quo peccatores de se ipsis diffidentes consolaris: * si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis vita vivet & non morietur non enim voluntatis meæ est mors impij.

Magna quidem jucunditate audio cum te dicentem audio, * quod exultantis Pastoris humeris reportetur ovis quæ erraverat.

Et drachma referatur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri quæ invenit, *

& la-

& lachrymas excutit gaudium solemnitatis Domus tuæ, cum legerem in ea de minore filio, quoniã mortuus erat & revixit.

Da ergo Domine animæ meæ vocem virtutis tuæ, nec virtutis tantum torporem excutientis animarum, * sed & radium lucis, annuntiantem pariter hominibus peccata eorum, illuminantem abſcondita tenebrarum.

Sonet vox tua in auribus cordis mei & dic animæ meæ dormienti quid tam diu, lethargico gravaris ſomno, * & vinculis captiva detineris? hora eſt jam de ſomno ſurgere & ut derelinquas viam tuam atque revertaris ad me, qui redemi te.

Revertere Sunamitis, revertere ut intueamur te, revertere, * & non tardes amplius venire ad me, ego enim ſum Dominus Deus tuus qui voco te.

Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, * nec habeo in memoria priora.

Tunc fiducialiter dicam ego convertere anima mea in requiem tuam, * quia Dominus benefecit tibi.

Ad eum ſecure vade, & licet á vijs tuis peſſimis laſſata; * eo citius perge, quo citius requieſcere concupiſcis. Noli

Noli deterreri peccatis tuis, ſi enim fuerint ut coccinum quaſi nix dealbabuntur, * & ſicut nebula delebuntur, nec de audacia accuſari verearis ubi de obedientia laudaris.

Vade & propera anima mea ad eum qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, * & ſi peccatrix es, Deus Peccatorum, Deus tuus eſt.

Quid ergo ire times, quæ non à ſevero judice vocaris,* ſed à Patre miſericordiarum, ut miſericordiam conſequaris.

Jdeo vade nunc lubens ad miſericordiam vocata, * nè poſtea ad judicium compulſa vadas.

Jn te jam Domine & Pater inclyte confido & non erubeſcam confiteri tibi deformitates & blaſphemias meas, * qui non erubui profiteri eas, coram hominibus & latrare adverſum te.

Murmuret Phariſæus & dicat, quis poteſt dimittere peccata, niſi Deus? * mihi etenim qui ad cor loquitur, Deus eſt.

Cuius ſermo vivus & efficax qui me vocat, pius ac tranquillus eſt, * & qui non ſolet continere in ira ſua miſericordias ſuas.

Jn ver-

Jn verbo itaque tuo ſecurus ibo ad te Deus meus fiducia mea; * & portio mea in terra viventium.

Jbo procidens ante te, & Maieſtatem tuam non timebo quoniam tu vocas me,* & ne offendam oculos tuos dum immundus appareo in conſpectu tuo.

Sordes meas abluam lachrymis aſſiduis & palpebra à fletu non quieſcet, * ſed erit lectus meus cõſcius doloris mei.

Quo tibi placeo, dum mihi diſpliceo, * & per te ad te converſus, de commiſſis pœniteo, ut mundo corde laudem te dicens.

Domine quis ſimilis tibi, tunc enim ſpecioſa erit laus in ore peccatoris, * & qui ſeminavit in lachrymis, in exultatione metet.

Gloria Patri, & Filio, &c.

PSALMUS VII.

MIſerere mei Deus quoniam tribulor, * & inenarrabilibus urgeor miſerijs.

Torrentes enim iniquitatis conturbant me * & intraverunt aquæ uſque ad animam meam.

Ita ut quaſi fluvius inundans peccata mea *

quæ

quæ hactenus diſſimulavi, confiteri & emendare neglexi eouſque excreverunt.

Ut ſupergreſſæ ſint caput meum & à ſenſuali appetitu concupiſcentiæ, mentem, & voluntatem meam inflexerint; * imo ſervituti diaboli me ſubiecerint.

Væ mihi, quia totus lethaliter plagatus ſum, * & à planta pedis uſque ad verticem nulla eſt in me ſanitas.

Supplantavit enim me inimicus meus, * & tanquam crudeliſſimus tyrannus in me ſæviens, omnibus me ſenſibus privavit, relinquens ſolum intellectum.

Ut de damno & jactura mea addendo ſcientiam, * adderet etiam & dolorem.

Parum quidem noceret ſi omnimoda functione ſenſuum orbaret, * & in cunctis actionibus meis prorſus inſenſibilem me feciſſet.

Sed orbavit ad bonum, * & vim intulit ad malum.

Et ſtupore quodam inſenſibilitatis internæ animum meum, per exteriora effuſum ſic effecit, * ut damna interiora non ſentirem.

Cum

Cum enim audire expediebat ſurdus eram, ✳ & à veritate auditum avertebam.

Cum verò aures obturare æqvum erat, nè audirent inutilia, & ineptias multorum, ✳ velox tunc ad audiendum ac benevolus auditor ſemper eram.

Cæleſtia tanquam inſipida guſtabam; ✳ & ab omni ſpirituali cibo nauſeabat anima mea.

Terrena verò ſuper mel, & favum: ✳ dulciora judicabam.

Ad contemplanda quæ Dei ſunt, ✳ cæcus & animalis homo eram.

Quæ vero mundi ſunt ſuperbo oculo videbam, ✳ & inſatiabili corde cupiebam.

Nec in ſenſibus tantum ſed & in membris meis, ✳ quæ dedit mihi Deus in miniſterium animæ meæ viam ſalutis mihi occluſit antiqvus hoſtis.

Et tales in hac dira obſidione mihi paravit inſidias ut eas vitare nunquam potuerim, ✳ ſed quoties fugam tentavi incidi in manus eius.

Peccavi enim videns, & videre nolens, ✳ obſurdeſcens & audire volens, tacens, & loquens.

Stans

Stans & ſedens, dormiens, * & vigilans, ambulans, & quieſcens.

Omnem denique proprium & communẽ uſum ſenſuum, * & membrorum in turpem abuſum immutavi.

Exardeſcens immundis deſiderijs meis* adeò ut omnem legem naturalem, Divinam, & humanam traſgreſſus ſim.

Et in ſola peccati lege obſervanda * diligens fuerim.

Utinam fuiſſem & jam non eſſem, * ſed heu! quoniam idem qui antea fui adhuc ſum, nihilque mutatus ab illo deteriora ſequor.

Adhuc enim præſidens voluntas languida dominatur: * & anima mea fœdiſſima horrendis ulceribus undique ſcaturiens.

Non aliunde quàm à ſeipſa * in priſtinis malis perſeverat.

Sæpe mihi iraſcor, quia tædet me vivere, * cùm non tædeat peccare.

Cognoſco ſtultitiam meam & confundor, * ac confuſus me reprehendo.

O carnalis amator, * cur in luto concupiſcentiarum tuarum tam diu jaces.

Quid tantâ ſollicitudine de rebus mortali-

talibus ſatagis, * & peritura bona tàm vehementi affectu cupis?

Aut quâ ratione bona dicis, * quæ cum nimio labore, & magno animæ tuæ detrimento acquiris.

Acquiſita cum timore poſſides, * poſſeſſa cum dolore amittis.

Cur anima mea propriæ conditionis & nobilitatis tuæ obliviſceris, * & ſub putredine corporeorum ſenſuum miſeram, & contumelioſam ſervitutem gerere non erubeſcis?

Cur infida mundi promiſſione deciperis, * nec advertis quod illius ſummum donum vapor eſt ad modicum parens & vanitas vanitatum.

Erubeſce, erubeſce peccator miſerrime, * quoties ad fallaces creaturas converſus à Creatore tuo receſſiſti.

Et rediens ad temetipſum vide qualicunque oculo mentis tuæ, * quàm crudeliter miſeræ venationis obtentu anima tua eviſceravit ſemetipſam.

Dum vilem muſcarum prædam immoderato captans deſiderio, * aranearum inſtar ex proprijs viſceribus ſibi retia intexui.

Eru-

Erubeſce iterum atq; iterum dico, * in quibus nullum fructum habuiſti.

Et amiſſum tempus plora ut fructum afferat tibi erubeſcentia: * præbe cor tuum Deo, & ſolve quod debes.

Jn his ſermonibus exacerbor in me, * dum interius admonitus, intro in interiora mea.

Conferens in corde meo, * quid amiſerim & quid invenerim.

At non quod probo bonum, * ſed quod volo malum hoc ago?

Velle enim meum tenet inimicus, * & configuratum prioribus ignorantiæ meæ deſiderijs captivat me, in lege peccati.

Sed tu Domine Deus virtutum turris fortitudinis meæ, * & Dominator vitæ meæ, auxilium tuum nè elongaveris à me.

Ad defenſionem meam conſpice, * & protege me ſub umbrà alarum tuarum nè corruam in conſpectu adverſariorum meorum.

Et de me gaudens inimicus meus, * ne dicat prævalui adverſus eum.

Diſrumpe vincula improperij mei ſub quibus incurvatus ſum, * & funes peccato-

rum meorum quibus fortiter constrictus sum solve potentissime Domine.

Et notam fac inimicis potentiam tuam,* ut immolem tibi hostiã jubilationis dicens.

Quis loquetur potentias Domini? aut quis enarrabit omnes laudes eius?* qui eripuit animam meam de morte & pedes meos à lapsu.

Qui salvavit me ex ore Leonis,* & â cornibus unicornium humilitatem meam.

Ad quem clamabo nisi ad te?* ad queḿ clamaverunt omnes Patres nostri, & salvi facti sunt.

Ad te inquam qui non frustraris,* sperantes in te.

Pone itaq; me Domine juxta te,* & cuiusvis manus pugnet contra me.

Nulla enim timebo mala,* quoniam tú mecum es.

Ante te omne desiderium meum,* dele & detrahe quod planè alienum est à te.

Jnnova crea & confirma,* quodcunque dederis in te.

Ut abiectis carnalibus & inutilibus desiderijs,* laudetur peccator in desiderio animæ suæ.

Et te

Et te ſolâ verâ jucunditate frui deſiderans intret poſtulatio mea, * in conſpectu tuo ut in confidentia dicam tibi.

Deſiderium animæ meæ tribue ei, Deus meus, * ſcio namq; & certus ſum quod nemo poterit deſiderare te, niſi per te.

Nec ire ad te, * niſi tu traxeris eum.

Trahe ergo Domine, * & da mihi incipere in bono deſiderio ut illud perficiam in bono opere.

Antequam novum propoſitum, * mos vetuſtus opprimat.

Et prior voluntas vetuſtate roborata * novam ſuperet.

Ut cum recta placent, * non revertar ad ſolita.

Jndue me pretioſis veſtimentis ſalutis decoris tui, * & denuda me vilibus viduitatis meæ indumentis.

Quibus deorbatus ſecundum priſtinam converſationem veteris hominis incedo, * & noli opprobrij viduitatis meæ recordari amplius.

Ut in te noviter indutus atque novus homo factus, * novo ſpiritu in novitate vitæ ſerviam tibi.

Et in fragrantia unguentorum tuorum, ad te currens gaudeam in JESU Salvatore meo. Gloria Patri, & Filio, &c.

LITANIÆ ad DEVM.

KYrie eleyſon, Chriſte eleysō Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi n.
Pater de cœlis Deus miſerere no.
Fili Redemptor mundi Deus mi.
Spiritus ſancte Deus miſerere no.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſe.
Deus ex quo, per quem, ex in quo ſunt omnia. miſerere nobis.
Qui ſolus es Deus. miſerere no.
Qui Moyſi nomen tuum Ego ſum qui ſum patefeciſti. miſerere no.
Deus Deorum Dominus. miſere.
Deus in quo viuimus mouemur & ſumus. miſerere nobis.

Domi-

Dominus Deus ſortis zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filios. miſerere nobis.
Cui ſoli debetur omnis honor & gloria. miſerere no.
Cuius Maieſtate repleta eſt terra.
Qui facis mirabilia magna ſolus.
Dominus altiſſimus ſuper omnem terram. miſerere nobis.
Qui ſolus es bonus. miſerere.
Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt. miſerere nobis.
Qui es, eras, & qui venturus es, m.
Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. miſerere nobis.
Rex Regum, & Dominus Dominantium. miſerere no.
Qui baltheum Regum diſſoluis & præcingis renes eorum. miſerere.

Qui ſolus habes immortalitatem & lucē inhabitas inacceſſibilē m.
Deus exercituum Deus Iſrael. m.
Fortiſſimus Deus Spirituū vniuerſæ carnis. miſerere.
Qui feciſti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. mi.
Qui facis iudicium iniuriam patientibus, & das ſcam eſurientibus. miſerere.
Deus miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ & verax. mi.
Deus Iudex iuſtus, fortis & patiēs.
In cuius manu anima omnis viuētis, & ſpiritus univerſæ carnis. m.
Deus noſter ignis conſumens. m.
Deus fidelis, & abſq; ulla iniquitate, iuſtus & rectus. miſerere n.
Dominus ſcrutans cor & probans

renes

renes. miſerere nobis
Qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. m.
Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. miſerere nobis.
Qui facis magna, & inſcrutabilia & mirabilia quorum non eſt numerus. miſerere nobis.
Pater orphanorum & iudex viduarum. miſerere nobis.
Qui ſolvis compeditos, & illuminas cœcos. miſerere nobis.
Magnus Dominus noſter, cuius ſapientiæ non eſt numerus. miſere.
Suſcipiens manſuetos Dominus & humilians peccatores usq; ad terram. miſerere no.
Cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam. miſe.

Vnus legislator & iudex qui potes perdere & liberare. miserere.
Qui sanas contritos corde & alligas contritiones eorum. mi.
Dominus mortificans & viuificans deducens ad inferos & reducens.
Deus non volens iniquitatem. mi.
Qui habes potestatem corpus & animam mittere in gehennã. mi.
Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & eradicans malum. miserere nobis.
Qui multiplicas gentes & perdis eas, & subuersas in integrum restituis. miserere nobis.
Cuius oculi lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum. mis.
Qui reuelas profunda de tenebris

& producis in lucem umbrā mortis. miserere

Deus apud quem non est Personarum acceptio. mi.

Qui apprehendis sapientes in astutia sua, & consilium prauorum dissipas. miserere nobis.

Qui vivificas mortuos, & vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, miserere.

Deus universæ carnis, cui non est difficile omne verbum, miserere.

Qui fecisti terram in fortitudine tua, & præparasti orbem in sapientia tua, miserere.

Qui das pluviam super faciē terræ & irrigas aquis universa, miser:

Qui das escam omni carni, miserere nobis.

Qui omnia propter temetipſum operatus es, miſerere nobis.
Vivens in ſæcula ſæculorum, m.
Qui omnia in menſura, & numero & pondere diſpoſuiſti, m.
Quem cœlum, & cœli cœlorum capere non poſſunt, miſerere.
Terribilis in conſiljis ſuper filios hominum; miſerere nobis.
Apud quem tanquam momentũ ſlateræ eſt orbis terrarum, miſer.
Qui operaris omnia ſecundum conſilium voluntatis tuæ, m.
Qui menſus es pugillo aquas, & cælos palmo ponderaſti, miſerere.
Qui dominaris poteſtati maris & motum fluctuum eius mitigas, m.
Qui appendis tribus digitis molẽ terræ, & libras in põdere mõtes. m.

Deus

Deus magnus Dominus, & Rex ſuper omnes Deos, miſerere n.
Rex ſæculorum immortalis, inviſibilis, ſolus ſapiens, miſerere.
Sanctus, Sanctus, Sanctus, m.
Deus Protector noſter, & merces noſtra magna nimis, miſerere.
Vnus Deus & Pater omnium, qui es ſuper omnes & per omnia & in omnibus nobis, miſerere n.
Propitius eſto. Parce nobis D.
Propitius eſto. Exaudi nos D.
Ab omni malo. Libera nos D.
Ab omni ſuperbia & elatione animi. Libera nos Domine.
A gula, crapula, & omni ventris ingluvie. Libera nos D.
Ab ira, invidia, & omni mala voluntate. L.

Ab omni luxuria, & immunditia L.
Ab omni acedia, & inordinata tristitia. L.
Per immensitatẽ potentiæ tuæ. L.
Per infinitatem sapientiæ tuæ. L.
Per abundantiam bonitatis tuæ. L.
Per æternitatem gloriæ, & Maiestatis tuæ. L.
Per altitudinem scientiæ & providentiæ tuæ. L.
Per ineffabilem magnitudinem charitatis, & misericordiæ tuæ. L.
Per abyssum justitiæ, & judiciorũ, tuorum. Libera nos Domine.
In die judicij, Libera nos D.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt tibi serviamus in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris. T.
Vt te Dominum Deum nostrum adoremus, & tibi soli serviamus T.

ut Nomen tuum ſanctum in vanũ nunquam aſſumamus. T.

Vt feſtos & ſacros Eccleſiæ dies religioſis & piis operibus ſanctificemus. T.

Vt Parentes Prælatos, Superiores & qui parentum loco nobis ſunt debito honore, reverentiâ & obedientiâ proſequamur. T.

Vt nullius vitæ famæ honori ex ira odio, vel invidia ũquã noceamus T.

Vt neminem damno, furto, vel quacunq; injuriâ ſeu dolo, ſeu vi lædamus. T.

Vt ab illicitis carnis deſideriis & impuris affectionibus cor noſtrũ cuſtodiamus. T.

Vt nunquam aduerſus proximum falſum teſtimonium, aut mendacium

cium loquamur. T.
Vt bona proximi non concupiſcamus. T.
Vt te Deum noſtrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus diligamus. T.
Vt te ſuper omnia, & proximũ propter te ſicut nos ipſos amemus.
Vt quod nobis fieri nolumus alteri non faciamus. Te rogamus.
Vt omnem gratiam in nobis abundare facias. Te ro.
Vt diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis tuæ non contemnamus. Te rogamus audi nos.
Vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam & Deo placentem. Te.
Vt ad Regnum quod paraſti nobis

ab origine mundi nos perducere digneris; Te rogamus au.
Agnus Dei :&c. Parce nobis D.
Agnus Dei:&c. Exaudi nos D.
Agnus Dei:&c. Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi n.
Kyrie eleyſon Chriſte eleyſon Ky.

OREMVS.

DEus optime Deus dulciſſime miſerere mei & non facias mihi ſecundum peccata mea multa, & grauia commiſſa, quibus iram tuam & damnationem meam commerui, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam quæ totius mũdi ſuperat crimina, mihi perſæpe peccanti, clementer ignoſce. Placare obſecro Pater miſericordia-

rum, & non avertas faciem tuam à me, quandoquidem non modo me creare, ſed perditum etiam per Filij tui ſanguinem redimere dignatus es, ac impios prætereà multos quotidie iuſtificare & ſalvare in hoc mundo non deſinis. Ecce tanquam filius ille prodigus, qui bona paterna fœdè diſſipavit, ad gloriæ tuæ thronum confugio: ſolum peto miſericordiam à Deo miſericordiarum: clamo & pulſo donec gratiæ tuæ oſtium mihi quamvis indigno aperiatur. O- bliviſcere quæſo ſuperbi & ad iracundiam provocantis rei, memor autem eſto miſeri & humiliter invocantis filij. Sana Domine vulneratum, & lethaliter infirmū

restitue: respice in faciem Christi tui & Redemptoris mei, cuius sacrosancta vulnera, mihi & omnibus pœnitentibus, fore salutaria confido. Erravi sicut ovis quæ periit, pœnitet me peccasse, cupioq; tibi reconciliari, qui ad te conversos libenter admittis, & erraticis etiam ovibus Pastorem te verè bonum exhibes, easq; dissipatas colligis, & ad pascua reducis virentia. Tibi laus & gloria. Amen.

****

AFFECTVOSISSIMÆ Amantis Deum cordis supplicationes ex varijs suspirijs congestæ.

I. AD DEVM PATREM.

O Pater Misericordiarum, & Deus totius Consolationis; indi-

gnus quidem ego ſum, iſto te nomine appellare, qui Miſericordiam non merui, ſed juſtitiam; non conſolationem, ſed caſtigationem dignus tamen es, iſto à me nomine honorari: at quæ tua Miſericordia, ſi mea deſit miſeria? quomodo tu Conſolator, ſi ego non ſim afflictus? Eja ergo, mi Pater; miſeria mea eſt, quæ te facit Miſericordem; afflictio mea te Conſolatorem; agnoſco me miſerum, oſtende te Miſericordem; afflictum me fáteor, Conſolatorem te teſtare. Ego quidem ut miſer ſim, á me habeo; ut ſim áfflictus, mihimet imputo; Tu verò ut miſerearis, ut conſoleris, non mea te miſeria, aut afflictio,

ſed

ſed tua te movet miſeratio & dignatio. Miſerere ergo mei, tum, qvando in me cum morte, miſeriæ ſimúl omnes incumbent; ac tū ſolare, cū deſolatio me ſuprema occupabit. Quo in agone oſtende te Patrem, & ſucurre Filio, miſerere pedum tuorum pulveri ac ſalva opus manuum tuarum.

II. AD FILIVM.

O Ieſu Miſericordiſſime, quia Filius Patris Miſericordiarum; qui ut miſereri poſſes promptiús, miſer factus es; miſeriaſque noſtras naſcendo ſuſcepiſti, vivendo expertus es, moriendo expiáſti. Ego te poſt Patrem, miſeriarum omnium pleniſſimus, humiliter appello, &

demisse supplico, per omnes tuas, pro me tolleratas miserias, & usurpatas in me miserationes; ut miserias omnes, peccatorum meorum justissimum debitum, admittas in miseriarum tuarum sanctissimum commercium. Faciásqve, quæ in pœnam irrogas in meritum transire, & ad præmium computari: Mortem verò, miseriarum mearum in vita præsente ultimam, qvam obire communis iubet necessitas, obire feliciter, tua præstet benignitas; Eamque, mihi esse miseriarū omnium terminum, & bonorum omnium principium: Idqve ut sperem, facit infinitum, per qvod spero, mortis tuæ pretium, quæ uti mortem sempiter-

nam

nam ſuſtulit, itá vitam æternam conferat.

III. AD EVNDEM CRVCIFIXVM.

O Ieſu Crucifixe, quàm ſublimis in ſinu patris, tam humilis in brachiis Matris, brachiis Crucis, Matris Synagogæ. Quám glorioſus in cælis, tam abjectus in Terris. Quám á te beatus, tam á me miſer, Quám ſplendidus in paludamento Majeſtatis tuæ, tam ſordidus in lacerna vilitatis noſtræ. Credo te Deum in humanitate, & Hominem in Deitate, etiam ſub ſpinis ſaucium, á vulneribus cruentum, Spero in te ſupra me exaltatum per Deitatem, ad

me uſqve exinanitum per Humanitatem: Et ſpero á te, quidquid pretio ſanguinis tui comparáſti pro me. Amo te amabilem mihi, quia Creatione Imago tua ſum: amabiliorem, quia dignatione Imago mea es. Rogo te in iſta Fide per ſpem illam, ex eo Amore, adde iſtud tuis in me beneficiis, ut quem in communionem Calicis tui, in Crucis tuæ conſortium, in dolorum partem jubes venire, Dones etiam venire in partem & ſocietatem Meritorum: per eáque, itá me pati, ut non ſuccumbam; itá me ſequi, ut non deficiam; itá certare, ut non cadam: itá vivere, ut mori non timeam; itá denique mori, ut mors mea ſit initium vitæ

iſtius

iſtius in quo æternos Crucis fructus, tecum beaté deguſtẽ, & laudes tuas, cum Beatis omnibus æternúm decantem.

IV. AD EVNDEM AFFECTVS S. COMMVNIONIS

DVlciſſime IESV, panis viventium, viaticum in Domino morientium, qvem in V. Sacramento præſentem confiteor, & Deum meum veneror, ſine quo vivere non poſſum, mori non ſpero. Ecce tibi ſinum cordis mei, & paratum offero totum animi mei habitaculum; dignare ad me venire, & mecum ad finem uſqve vitæ manere. Et qui te non roganti offers, ad te anhelantem

non deſpice. Obſecro te mi Ieſu, per illum ipſum amorem, quo te mihi in Cibum communicas, & per iſtud amoris Sacramentum, iſtam mihi ex hoc gratiarum fonte præſta gratiam, ut iſto corporis tui Sacratiſſimo cibo digné reficiar in vita, pie in morte: eóque refectus, faſtidiam omnes terræ delitias, & carnis voluptates, tecùmq; vivam in tempore, qvoad in te vivam æternùm. Vt eodem confortatus, viam ingrediar univerſæ carnis, ſiſtárque judicio tuo, non damnandus ad mortem, ſed ſalvandus ad vitam, in qua ſummo bono meo, beaté fruar æternúm.

O mi IESV! Tuliſti in Corpore tuo, quidquid ego peccavi in me; tu ab-

tu abluisti Sanguine tuo, quid quid ego deliqui in Corde meo; per illud ipsum Corpus, per Sanguinem istum supplico, absterge á me, quidquid reperies in me, quando viatico isto Corporis tui reficies me, transiturum ad æternitátem. Et quod tunc fortassis non potero, jam rogo, per divinum tuum erga me ámorem, & per hoc amoris Sacramentum; ut ultimum meum sit ad te suspiriũ

O Deus abscondite, & Salvator, salva me ut ultimum meum sit desiderium, in viaticum mortis sumere te; ut ultimum meũ sit solatium, tecum per Sacramentum Corporis tui uniri. Vt ultimum meum sit votum: In manus tuas

trade-

tradere ſpiritum meum. Vt ultimum vitæ meæ punctum terminetur Amore. Amen.

V. AD SPIRITVM SANCTVM.

O Sancte Spiritus! O Bonitatis principium! O Deus Amoris, in quo ſpiro, per qvem ſpero, ad quem ſuſpiro; cujus eſt amare proprium, & conſolari, Ad te, amore licet & conſolatione æqvè indignus ſupplex advolvor, nihil quidem afferens, qvod mereatur amorem, plurimam tamen, quod deſideret conſolationem. Et per Amorem tuum, quo nihil habes cariús, obteſtor, ut & tu miſeriis meis ſuccurras; Illis, qvas & alie-

num

num primi Parentis vitium intulit, & proprium deinde adauxit. Atqve imprimis Sordes animæ meæ, amoris tui obſtacula, fonte gratiæ tuæ abluas; Mentis meæ cœcitatem, & ignorantiam lumine fidei, & ſapientiæ diſpellas; cordis mei teporem, igne amoris tui inflammes; ariditatem ſpiritûs mei, vigore virtutis tuæ fæcundes.

Quod quidem, cùm à te obtinuero, & conſolatorem laudabo & amatorem ſperabo: qualem te, ut tum habeam, quando cum mortis neceſſitate luctandum; tantò confido certiùs, quantò te amauero ſinceriùs: ut uerò etiam confidam, amo te ex corde & amare æternùm deſidero.

VI. AD B. VIRGINEM MATREM.

O Maria mea tot titulis, amari digna qvot ego tibi obligor beneficiis; tātò mihi benevolentior affectu, qvātò propinquior partu Mater mea es, non conditione naturæ, sed gratiæ jure, sub Cruce constituta; Quando me genuisti, non ex utero naturalem, sed ex corde filium spiritualem; non quidem doloribus Parturientis, certe tamen doloribus Morientis; non tui, sed in te morientis Filii tui, unicè dilecti: Ecce jam Mater mea, venit ad te Filius tuus, Primogenito tuo longè dissimilis, & inter adoptivos tuos infimus; Filius tamen tuus, ad te Matrem su-

am, & ſupplicat pro ſalute ſua, Sanguine Filii tui parta, lachrymis tuis impetrata, patrocinio tuo obtinenda. Monſtra ergo te Matrem, & reſpice Filium; Qvo nomine ſi ille indignus eſt; tu certè materno digniſſima, reſpice, ut ſalves: ſuccurras auxilio, ſalves patrocinio. Reſpice, & non deſpiciet Filius; recipe & non ſeducet inimicus, & ſi quid in me offendis unde diſpliceam, in te reperis, unde placeam; per te ſcilicet reconciliato Filio. Quod ut à te impetrem vivus, & obtineam mortuus, per illud tibi cariſſimum, & mihi dulciſſimum nomen matris ſupplico.

VII. AD ANGELVM CVSTODEM.

O Custos Aniele, à primo vitæ momento mihi fidelissime, salutis meæ nunquam non studiosissime, agnosco benevolentiam tuam in officio, liberalitatem tuam in Beneficio, Humilitatem in obsequio. Cæpisti mihi bene velle, cùm cæpi vivere; benefacere, cùm cæpi mala pati, (pateris enim, & mala pateris, cùm me sustines malum, qvem cuperes bonum;) per istum tuum tam constantem in me animum; cui toties vitam, incolumitatem & salutem debeo. Quoties ea non perdidi peccando aut tu perniciem meam avertisti deprecando? per illum, inquam,

tuum

tuum in me affectum rogo, dirige porrò vitæ meæ cursum, ut á salutis, virtutis & perfectionis tramite nec emollitus Carnis illecebris, nec inescatus Mundi pompis, nec captus diaboli insidiis unquam deflectat, sed ad metam usque, unde incipit æternitas, decurrat. Quàm tantò ampliùs tibi spero cordi futuram; quantò pluribus illa periculis est obnoxia. Quæ ut in vita & morte evadam tu consilium tempori suggere, & manum in necessitate porrige.

VIII. AD SANCTOS PATRONOS.

O Sancti, Vitæ, salutisq; meæ Patroni, N. N. N. communi

omnium, & mea imprimis veneratione, dignissimi; vos ego amoris ductu singularis, præcipuè colendos mihi delegi, vobisque me ac mea, spei vestræ nixus fiducia commisi. Agnosco vestros in me favores & meam erga vos ingratitudinem, qui tot vestris occupatus beneficiis, non respondi obsequiis; toties sensi in necessitatibus amoris vestri opem, & non retuli honoris mei in vos vicẽ. agnosco intercessionis vestræ patrociniũ, & obligationis meæ vinculum; istud ut deinceps mihi á vobis securè pollicear, hanc explere sedulò conabor. Et vestras vbique laudes diffundere, cultum vestrum prorogare, exemplum denique

vestrum sectari Quod ut præstem, vestra iterum faciet benevolentia, cui & vitam meam uniuersam offero ductu vestro transigendam, & mortem commendo, vestro in conspectu, & sub tutelâ vestrâ obeundam. Vos ô Sancti N. N. N. de vestra jam salute securi, de mea estote solliciti; & quos in vita Patronos elegi, in morte patrocinantes experiar, victurus deinceps vobiscum beatè, patrocinii vestri memor æternúm.

PROTESTATIO
Contra omnes Inimici insidias.

Summe Deus, quem immensum credo, & vbique præsentem confiteor; Mater, Virgo, Michael Archangele, Custos Angele, S. Io-

ſeph, Patroni mei reliqui N. N. Sancti omnes, quos in Verbo me agnoſcere non dubito, atq; toto affectu ad felicem Gloriam ve- ſtram, & ſalutem meam tranſire deſidero, Siſto me coram vobis, & conſciis vobis proteſtor.

1. Deteſtor ex animo omne peccatum meum, & quidquid oculis Dei in me diſplicet: hoc deinceps ſeduló vitare volo cœleſti fultus gratia.

2. Proteſtor credere me, quid- qvid Eccleſia Romana, cujus membrum ſum, credendun pro- ponit; erroresque omnes ab ejus ſenſu alienos, execror.

3. Spero item me peccatorum meorum veniam, per fuſum pre-

me Iesu Christi sanguinem, & æternam Meritorum meorum retributionem:

4. Amo ex animo, unicè amabilem Deum meum, & amare cupio quidquid etiam adversi immiserit, ac præter mentem, arbitriúmque meum futurũ, quamvis natura, dolendi impatiens, reluctetur.

5. Invisas habeo, & ut confido, deinceps habebo omnes rerum caducarum illecebras, nec iis captum, detrectabo quidquid divina Providentia, circa me, vitamque ac mortem meam disposuerit.

6. Nolo ullum rei cujuspiam à me bene gestæ plausum, ac

omnino, volo vivere, ac mori, quomodo me tu, Deus meus habere volueris

7. Et hanc voluntatem meam, firmissimè decretam cupio habere ut in vita & in morte sit immutabilis: Quod ut consequar, à te imprimis, Deus optime, maxime, à te deinde Virgo Mater, Archangele Michael, Custos Angele, Sancte Ioseph, cæteri Patroni N. N. Sancti omnes, ex animo obtestor.

BREVIS SVPERIORVM AFFECTVVM SYNOPSIS.

Ad usum frequentiorem contracta.

CRedo in te ô Deus vêritas, & quidquid te revelante Fides

docet,

docet, & Ecclesia proponit; adauge in me fidem, & da, ut in illa sincerè vivam, & constanter moriar.

Spero in te, ô infinita fidelitas, unicum ac summum bonum meum; & spero à te, quam promisisti veniam, gratiam, gloriam; & precor, ut hæc spes me non deserat in vita, non confundat in morte.

Amo te ô immensa bonitas, & quidquid tecum, ac propter te est amabile, idque ex toto corde meo, & hoc amore opto animari totam vitam meam, & vitæ meæ exitum terminari.

Detestor ex animo, ô æterna Maiestas, omne peccatum meum,

non qvia ſummum meum malum eſt:ſed qvia ſumma tua offensa eſt; & nollem illud unqvā á me commiſſum; ac ſtatuo, te adjuuante, nunquam illud committere, petoquè ut quem noſti ſine peccato non vivere, dones ſinè pænitentia non mori.

Reſigno me tibi, ô ſupreme rerum omnium Domine; tuoquè beneplacito vitam meam uniuerſam ſubdo, firmiterq; decerno, ab illo nec in proſperis, nec in adverſis, nec in vita, nec in morte recedere.

Agnoſco Beneficentiſſime Deus, divinam tuam in me liberalitatem, tot beneficiis têſtatam, quod vixi momentis; tot meis ob-

ſequiis

ſequiis dignam, quot habeo mentis, cogitationis, animi affectus, corporis membra, reſpirandi vices; gratiasquè ago ex animo, meque in compenſationem integrè reddo, quoad totus per mortem tranſeam in gratitudinis holocauſtum, æternis à me gratiis tibi offerendum.

O Deus meus & omne bonum meum, pudet me, quod te non contentus, bono infinito, bonitatis exiguæ umbras ſim ſectatus: deteſtor præpoſterum illud ſtudium meum, & renuntio omni bono, quod te minus eſt, illúdque peto, ut tu ſolus deinceps expleas omne meum deſiderium.

Mitiſſime Deus, qui non mi-

nùs te patiendo miſericordem, quam agendo potentem oſtendis. Offero me tibi ad ferendū, quidquid immiſeris, aut permiſeris, ideó ſolúm, quia tu me ferre jubes: petóque iſtam à te gratiam, ut non ſinas patientiam meam, aut vitæ moleſtijs, aut malevolorum iniurijs, aut morborum, mortisque doloribus convelli.

Benigniſſime Deus, qui ut me ad petendum allicias, petenti omnia promittis; ecce fretus promiſſis tuis, peto veniam reo, ſolatium afflicto, ſubſidium egeno, ignaro ductum, infirmo robur, Vivo gratiam, Morituro perſeverantiam: pérque ipſa illa promiſſa tua, quibus divinam tuam

obli-

obligâsti fidem, rogo ut petenti annuas, petita dones, donata conserves.

O Deus, Pater misericordiarum, ô Fili Dei, miseriarum consors, ô Spiritus sancte, miserorum consolator, per ista mihi dulcissima nomina obtestor; ut quem Patrem appello, Patrem habere merear; quem Fratrem & consortem agnosco, Fratrem experiar; quem consolatorem veneror, consolatorem sentiam, tum maximè, quando cum morte luctandum erit, pro æternitate; ùtque refectus Pane vitæ, Crucis virtute adjutus, patrocinante Matre Virgine, tutante Archangelo Michaele, assistente Angelo Custode, Patronis meis succurrentibus, Be-

atis omnibus Auxiliantibus, felicem consequar devicta morte æternitatem. Amen.

Preces pro Bona morte.

ORATIO. I.

O Iesu rogo te per Mariam; ô Maria, rogo te per Iesum, ô Iesu & Maria, rogo vos per S S. Trinitatem, ô S S. Trinitás rogo te per amorē quo Iesum, quo Mariam, qvo te amas; miserere mei, ut felix moriar ad Maiorem tuam gloriam, amorem ut vos amem in æternum.

ORATIO II.

O Iesu Christe, Deus cordis mei obsecro te per quinque illa vulnera, quæ tibi in Cruce, mei amor inflixit, famulo tuo subveni,

ni, quem pretioso sanguine redemisti. Te ego Iesu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos tuæ necis cruciatus obsecro obtestorque, ut intuearis ipse tuas cicatrices, quas æterno Patri assiduè pro me ostentas, easque salubres etiam misero mihi esse velis.

ORATIO III.

Ad Beatissimam Virginem.

OFfero tibi Maria Dei Mater, hunc & ultimum diem, vitæ meæ, cum suis horis singulis, & momentis, ut me custodias felici æternitati; & sistas S S. Trinitati & ut hoc impetrem, offero tibi vitam meam, in singulas horas. Offero me quoque & omnes actus meos pro ijs in purgatorio anima-

bus, quas tu elegeris; ut illæ me morientem iuvent.

Suspiria pro bona morte.

ESto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut salvum me facias.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ego autem in te speravi Domine: dixi Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meæ.

Miserere mei Deus, miserere mei; quoniam, in te confidit anima mea.

In manus tuas commendo spi-

ritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Pia desideria S. Francisci, coram Sanctissimo SACRAMENTO vel ante sacram Communionem elicienda.

O Domine Deus meus, quis es Tu, & quis ego? ecce hic sto ante te Domine, tanquam mēdicus ante divitem petens, ut divitias gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare velis.

O Domine Iesu, hic sto ante te, ut servus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis & Sanguinis tui, simul & vestem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine Iesu hic sto ante te, ut reus ante Iudicem terribilem, petens ut mihi judex pius esse velis, quando separabitur anima mea à corpore, & ante tribunal tuum præsentabitur.

O Domine hic sto ante te, sicut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas tua trahat me ad te, me liget in te, & non permittat me unquam separari à te.

O Domine, hic sto ante te, tanquam filius ante parentem, petens confidenter, ut necessaria & salutaria quæque mihi provideas & paternam hæreditatem mihi finaliter non velis denegare, A:



PSALMUS 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

℣. *A porta inferi,*

℟. *Erue Domine animas eorum*

℣. *Domine exaudi orationem meam*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

In die obitus.

ABſolve quæſumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humanâ converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Dominum noſtrum Ieſum Christum Amen.

Pro

Pro Episcopis & Sacerdotibus.

DEVS qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos pontificali, seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta quæsumus ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Pro defunctis Fratribus.

DEVS veniæ largitor, & humánæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cū omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Pro Pátre, & Matre.

DEVS qui nos Patrem, & Matrē honorare præcepiſti, miſerere clementer animabus Patris ac Matris meæ, eorumque peccata dimitte: meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum noſtrum &c.

Pro uno defuncto.

Inclina Domine aurem tuam, ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc ſæculo migrare feciſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, Sanctorumq; tuorū iubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

Pro una defuncta.

QVæsumus Domine pro tua pietate, miserere animæ famulæ tuæ N. & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum &c.

Pro pluribus defunctis.

FIdelium Deus omnium conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, pijs supplicationibus consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Amen.

HYMNVS
Pro defunctis
AD BEATAM V. MARIAM.

LVgentibus in purgatorio,
Qui purgantur ardore nimio,
Et torquentur ſine remedio,
Subveniat tua compaſſio,
ô MARIA.

Fons es patens, quæ culpas abluis,
Omnes ſanas, & nullũ reſpuis,
Manũ tuam extende mortuis,
Qui ſub pœnis lãguent continuis
ô MARIA,

Ad te pia, ſuſpirant mortui,
Cupientes de pœnis erui,
Et adeſſe tuo conſpectui,
Et gaudijs æternis perfrui.
ô MARIA.

Clavis David, quæ Cœlũ aperis,
Nunc beata ſuccurre miſeris,
Qui tormentis torquentur aſperis
Educ eos de domo carceris,
ô MARIA.
Lux juſtorum, norma credentiũ,
Vera ſalus in te ſperántium,
Pro defunctis ſit tibi ſtudium,
Aſſidue orare filium,
ô MARIA.
Benedicta per tua merita,
Te rogamus mortuos ſuſcita,
Et dimittens eorum debita,
Ad requiem ſis eis ſemita,
ô MARIA. Amen.

ORATIO.

ORamus te, pijſſima Virgo MARIA, mundi Regina

& Angelorum, ut eius quos pur-gatorius examinat ignis, impe-petres refrigerium; peccatoribus indulgentiam, justis in bono per-severantiam: nos quoque fragi-les ab instantibus defende pericu-lis. Per Christum Dominum no-strum. Amen.

Oratio pro elibertatione animæ.

O DEUS qui nobis in Sancta Sindone, quâ Corpus tuum sacratissimum, de Cruce depositum, à Ioseph involutum fu-it, Passionis tuæ vestigia reliquisti, conce-de propitius, ut per mortem, & sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perdu-camur. Qui vivis & regnas in unita-te Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.



pur-
mpe-
ribus
per-
ragi-
ericu-
a no-

æ.
ndone,
m, de
tum fu-
conce-
lruram
perdu-
nita-
nia

A b c d h l m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h l m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m n o p
A b c d h i m o p
A

Wielmożnemu Jegomości
Panu Michałowi Dzidemu
Stolnikowi [illegible]skie
mu
oddać należy

Wielmożnemu J.

Pans
Vera

Abcdhimn

Abcddlm

Cordis gaudia
sed super mel et
omnia Jesu
Dulcis memo
Jesu dulcis mem

Abcdhlmnop

Abcd

AMg CHAelgs

